POLITICA,
DECORVM,
COMMENTATIONES,

Quæ doctiſs. *Jo. Laurentius*
Corporis Chriſti olim
Collegij ſocius
Oxonij
conſcripſit.

Londini,
Impenſis *Jo. Higini.*
1590.

BIBLIOTHECA
LAMBETHANA

Præcipuis almæ pacis, virtutis
veræ gloriæque ſummæ
ſtudioſis:

PRÆSERTIM

Optimo viro Domino
D. Herberto,
Regiæ Maieſtati à Libellis
Supplicibus:
Mecœnati ſuo benigniſsimo,
Hæc
Diſerti viri Magiſtri Io Laurentij Opuſcula,
IO. HIGINVS
dedicauit.

POLITICA

M. IOANNIS LAVRENTII.

Dmirari subit interdum quam prudens sit rerum opifex Natura, cùm in aliis ferè omnibus, tum in his potissimùm; vbi, ex minimis progressa initijs, ad immensam quandam molem atq; magnitudinem continuatis incrementis exurgit. Quod nusquam melius, quam in hominũ societate, videri potest, atq; intelligi. Nam singulos Homines, si seorsum spectemus; quid Homine imbecillius? At Ciuitates & Respublicas, si intueamur; quantarum Virium? quantæq; Potentiæ apparent? Quæ societates, vt facilius Concordia coalescerent, (ne lite dissiparentur) sic instituit prouida Natura; vt nemo vnus omnia, vel ingenio comprehendere, vel viribus exequi, sine aliorum adminiculo valeat. Vt alter, alterius indigus cùm sit, lubentius omnes, in commune & sibimet ipsis; &, eadem opera, Socijs suis, & Ciuibus consulerent. Idq; qui præstaret optimè; Ei, & imperium in reliquos, & iustus honor laudesq; (quasi virtutis præmium) vltrò deferebantur. Hinc primùm, ex Solitaria vita, Familiæ; ex Familijs, Vicinitates; ex vicis & vicinitatibus, Ciuitates exortæ atq; extitisse feruntur. Quibus omnibus, id est propositum; vt, quemadmodum singulæ eiusdem corporis membra, ad vitam inter se, in vniuerso corpore conseruandam, consentire debent atq; conniti; sic omnes,

qui ſunt eiuſdem ſocietatis (quam, in maiore hominum multitudine, Rempublicam appellamus) ad eam inter ſe tuendam & conſeruandam, ſumma ope adniti decet. Id autem quomodo fiat, paucis cõſideremus. Homo igitur animal eſt, natura maximè ſocietatis appetens atq; ciuile. Quod, ſi quis reperiatur huiuſce communionis expers; qui, à communi ſocietate ſeipſum ſegregat in ſolitudinem; ne ille, vel bellua putandus eſt, vel Deus, ſi Ariſtotelicredimus. Humanæ autem ſocietatis, quaſi vita quædam eſt Reſpublica. Nam Ciuitas definitur; Cœtus hominum, ex diuerſis generibus & vicis, iure conuenientium, ad vitam perfectam & perſufficientem. Quam, ſi omnes, pro ſuo quiſque ordine & conditione conſequatur, Rempublicam haberi: ſin minus, degenerare atq; paulatim diſſolui neceſſe eſt. Cùmq; Ciuitates, non eodem omnes modo; neq; ex eiſdem generibus hominum conſtituantur: dum hinc eos, qui rebus præſunt; inde, qui imperio parent viciſſem contemplamur; tres genuinæ Reipublicæ ſpecies; totidémq; degeneres, eliciuntur. Quippe, omnis Dominatio; aut penes Vnum; aut Paucos; aut Multos. Vnius legitimum Imperium, Regnum; Paucorum, Ariſtocratiam; Multorum, Rempublicam dicimus. Quod ſi, pro iure & legibus; Vis & priuata Potentia dominentur; ſi ab Vno fit, Tyrannis eſt; Oligarchia, ſi à Paucis; à Pluribus verò, Status popularis. Optimam ſanè Reip. formam eam eſſe putant rerum ciuilium periti; quæ mixtim, ex his tribus coaleſcit. Vt nec vnius, nimium formidabilis ſit poteſtas; nec pernicioſæ Paucorum diuitiæ; nec effrenis Populi impetus, atq; temeritas: ſed, vt Suffragia ſint penes Omnes; Conſilia,

silia inter Prudentes; & Authoritas rerum gerendarum, apud Vnum. Talem fuisse Mosaicam Politiam notat Fricius; & Romanam item rempub. libro sexto prolixè docet Polybius: quæ legitimi, & diuturni Imperij causa fuisse vel maxima; haud falsò à Scriptoribus perhibetur.

Singulis hisce speciebus, sua sunt quædam peculiaria; quippe, suus est vnicuiq; finis, & sua cuiusq; constituendæ, conseruandæq; ratio. Sed quæ sunt Propria cuiusq; seorsim explicare supersedebimus: vt, quod est in vniuerso genere summum, possimus expeditius absoluere. Duo sunt igitur tempora in omni Republica diligenter spectanda; Pacis scilicet & Belli. Arma Belli, Pacis instrumenta sunt Leges: vtriusq; sic haberi oportet rationem, vt Paci semper studeamus quantum licet; Bellum autem nunquam suscipiatur, nisi cùm est iustum & necessarium. Personarum in Ciuitate talis est partitio, vt alij, cùm imperio sint; alij, sine imperio Priuati: in Priuatis, hoc vnum requiritur, vt legitimè & ex publico commodo, imperantibus libenter pareant. Magistratuum, plures sunt gradus, sed in hijs summum aliquem supra cæteros constituendum omnes consentiunt: vel, ea potissimùm de causa, vt seditionis vitetur occasio: an Perpetuus esse debeat? & an Hæreditarius? an contra Temporaneus, & in electione positus? Cæteráque huiusmodi, nihil hoc loco moramur. Commune id est, omni Magistratui, ex præscripto legum, potestatem exercere. Nihil enim aliud esse debet Magistratus, quàm viua lex. Atq;, in summo quidem Magistratu, tria requirenda notauit Aristoteles; vt presentem Ciuitatis statum amet, ac tueatur; vt

potestatem habeat exequendis legibus sufficientem, & vt virtutis studiosus sit, imprimis autem Iustitiæ, námque oculus, quodammodo Ciuitatis esse debet, qui in omnes reip. partes diligenter circũspiciat: præcipuè, in hæc tria, videlicet Consilia publica, reliquos Magistratus, & Iudicia. In Cõsilijs prudẽtia, æquitas in Magistratib. seueritas in iudicijs postulatur. Quæ si neglecta sint, collabi statũ Reip & ruere necesse est. Altera iã Ciuiũ distributio in classes habetur, & census dici sõlet: res, in magnis ciuitatib. perquã necessaria. Nã æqualitas & rerũ omnium indiscreta cõmunio: etsi à quibusdã (quasi mater societatis) approbatur; tamẽ ab expertis (quib. nõ minus quã scientib. iudiciũ tribuimus) manifestã perniciẽ ciuitatib. inferre cõuincitur. At vsũm quẽdã rerũ inter ciues amicabilẽ omnes laudant: et vt ad cõmunis boni participationẽ, ciues omnes admittãtur. Neq; enim ciuis videtur: qui, ab hac participatione excluditur, quippe libertas ad omnes, diuitiæ verò & potestas & quædam dignitatis prærogatiua, meritissimè ad pauciores & præstantiores reuocari debent; absq; cuiusque prorsus contumelia. Perinde scilicet, vt in Nauigatione, vna est omnibus salutis cura communis, & idem Gubernatori, Magistro, nautis atque remigibus propositum: opera tamen singulorum ferè diuersa, & suus cuique locus, sua sors atque conditio. Ita nihil secus in Rep. verùm Genera hominum tribus vt plurimum gradibus distinguũtur; alij Diuites & Honorati sunt, alij Pauperes & sine honore, tertij verò Medij dicuntur honoris, & diuitiarum mediocriter participes. Debet autem (vt inquit Aristoteles) qui legem ponit in Rep. semper ad Medios respicere. Vbi enim

enim Mediocrium ſuperat multitudo vel vtrumq; extremum vel alterum: hîc Reſp. recipit ſtabilitatem. Nam Diuitiæ ſi ſuperfluant, apertè inſolentes; Egeſtas ſi incumbat, clanculum malignos efficit: at mediocritas rerum, in modeſtia continet, vt nec inferiores deſpiciant, nec ſuperiores inuideant: ſed rebus contenti ſuis, pacem tranquillitatémque libenter exoptent, ſeditiones & tumultus, vt maximarum cladium & calamitatum ſemina deteſtentur. Atq; Seditiones (quibus eſt ſumma cura prouidendum) rariſſimè in Mediis (ſi quis prudenter expendat) exortæ reperientur, nec vnquam niſi propter intolerabilem iniuriam atque contumeliam: à Summis autem vel ab Infimis rerum nouationes tentari cõſueuerunt, dum Illi omnia adipiſci, Hi nihil ſe poſſe perdere cogitant. Quibus nullum poteſt excogitari commodius remedium, quàm mediocritas. Vt Diuitiæ non tam ſecundum ſingulos, quàm ſecundũ vniuerſos poſſideantur: rectè enim dici ſolet, Priuatæ diuitiæ, publica paupertas. Etenim, quò in pluribus, qualiſcunq; hac Mediocrium inter ſe retinetur æqualitas, eò firmius ſocietatis vinculũ cõglutinabitur, & ſeditionum facilius extinguentur incendia. Quod ſi alterutri extremorum plus ſatis permittatur, quantũlibet illud primò ſub ſpecie recti abblandiatur: procedente tamen tempore, neceſſe eſt, vt ex falſis bonis, verum malum eueniat. Quod non ſecus atque venenum, tãtò potentius nocebit: quantò ab initijs, aut minus intellectum, aut magis neglectum fuerit. Nam ſediciones, non pro paruis, ſed ex paruis plerunq; rebus, ad maximas procedunt. Id quomodo fiat, contráque vt ne fiat, Ariſtoteles perpolitè in Politicis explicat.

Restat immensum Pelagus, & cui enauigando non sufficimus, itaque littus legere, contractis velis placet: & veluti è specula procul intueri qua pateat iter. Aristoteles (vltra quem, nemo opinor, in hoc itinere progressus est) opera atque officia politica perscrutatus, sic postremò colligit. Necessaria ergò Officia (inquit) sunt circa hæc: circa rem deuinã, circa rẽ bellicã, circa reditus publicos et impẽsas, circa forũ annonæ, &c. Circa vrbẽ & portus, et nauigationẽ: insuper, circa iudicia & cõtractus, postulationes, & executiones, et custodias, et super rationibus, & disquisitionibus, & super correctionibus eorum, quæ quis gesserit in Magistratu; & finaliter, circa consilia rerum cõmunium, propriè autem, earum ciuitatum, quæ magis pacatæ atq; trãquillæ sunt, curam facere de mulierum disciplina, de legibus seruandis, de disciplina iuuentutis, de gymnasiorum gubernatione: præterea, de ludis gymnasticis ac musicis, ac si quæ alia huiusmodi spectacula continget fieri. Hæc ille breuiter: at quam immensam copiæ syluã suppeditat! si quis singula velit excutere.

Atque idem ille alia (succincta vsus distributione) ciuitatis opera sex disposuit: alimenta, artes, arma, pecunias, religiones, iudicia. De quibus ita summatim admonuisse sufficiat: vt alimenta pro multitudine vel in agris suis nata, vel aliunde importata suppetant, vt artes sine fraude colantur, vt armorum iustus & legitimus sit vsus, vt pecunia vel ad belli subsidium, vel ad ornamentum pacis reponantur: quas quomodo colligere possumus, totus publicæ Oeconomiæ dicatus liber, qui Oeconomicorum secundus inscribitur, ostendit. Demum vt res

diuina,

diuinæ, ſincerè et piè: publica iudicia incorruptè administrantur. Huc addas licet diſciplinam de mulierum continentia, de puerorũ inſtitutione, & quæ eodem ſpectant, de ſcholis & exercitationibus. Hæc ergo tot & tanta negotia diligenter homini politico meditanda ſunt & pertractanda. Sed nos ſua cuiq; permittamus, & Victus copiam Agricolis: Artes ijs quibus ſunt queſtui: Iuriſdictionem Iuriſperitis: armorum, pecuniarum, & diſciplinæ procurationẽ, ſummis Magiſtratibus, Religionis ſanctimoniam Sacerdotibus relinquamus. Verùm, cùm duo ſint Capita, quibus hæc omnia quodammodo conſtant, Mores videlicet & Leges: quorum Illi ſine ſcripto: hæ ſcripto ad vetus duarum Græciæ ciuitatum Lacedemonis atque Athenarum exemplum continentur. Rectè enim Horatius

Mos & Lex maculoſum edomuit nefas.

Mores in Republica ſtruendos eſſe & ſcitè & prudenter admonuit Plato: Quorum tanta vis eſt, vt audacter Ennius pronuntiet

Moribus antiquis, res ſtat Romana cadítque.

Etenim quid Leges? ſine Moribus, vanè proficiunt. Grauitérque conquiritur Cicero, incidiſſe ſe in veteris diſciplinæ perturbationem: quam breui Reip. ruina eſt ſubſecuta. Quare ſi ſeri Mores debent & tantum ſit eorum Momẽtum, curandum id imprimis: nam ſeminibus veneno infectis fieri non poteſt: quin culmi, rami, fructúſque & quicquid inde enaſcitur, vicioſum ſit atque noxium. Prima igitur cura, circa iuuentutem, cuius inſtituendi exemplum, longè illuſtriſſimum, Xenophon in Cyro nobis propoſuit. Quod ſi ſequamur, id fiet, quod apud Perſas ille fieri ait, contra quam apud alias nationes,

nes: vt à bono publico exorsi, eodémq; omnia referrentes, non tam pœnam reformident ciues, quam ab ipsa refugiant turpitudine, vt continentes, fortes, iusti atque temperantes sponte sua euadant. Ad id nihil tam conducibile, quam Principis & Magistratus vita laudabilis, quippe Regia & Procerum Domicilia, quasi quædam publicæ sunt officinæ, virtutis, honestatis, ingenij, bonorúmque morum. Sic Drusus Publicola, suam domum omnibus apertam atque expositam voluit, vt omnes sui Ciues intelligerent, qua ratione domi suæ viuerctur. Censores præterea & morum magistri constituendi sunt, qui in otiosos atque ignauos animaduertant, qui vestium, conuiuiorum, compotationum, aleæ, rei venereæ & id genus alia effrenatam libidinem seuerè coerceant, qui omnem ostentationem, verborum etiam vanitatem & omnimodam fraudem, tempestiuè castigent: qui luxuriam, ambitionem, auaritiam, & cæteras bonorum morum pestes, nota illa censoria graniter & incorruptè atq; intrepidè mulctent. Sed quorsum singula? In eo summa consistit, vt ciues honesta virtutis officia, discant, ament, & eisdē assuescant, contráque contraria.

Iam Legum, tanto erit minor necessitas, quanto meliores in Ciuitate mores erūt recepti: nam, quod beni viri, sponte & consuetudine faciunt, ad id lege coguntur improbi. Vnde illud, Ex malis moribus ortæ sunt leges bonæ. *Earum fontem esse constat æquitatem, itaque omnia in illis non ad aliquorum, sed ad omnium communem vtilitatem referantur: ita quidem, vt præmia eadem virtutibus, et pœnæ eadem iisdem sceleribus proponantur. Legem verò fulcire ratione oportebit. Anima námque legis est*

ratio:

ratio: nec est aliud quicquam lex bona quàm recta ratio, & homines ad obsequendum libentius adducuntur, cùm rationem videant. Leges nec multas nec obscuras esse conuenit: de similib. etiã reb. prorsus similes, vniusq; populi vnas & omnino sacras & inuiolabiles, magis etiam quam mandata principis. Sed de legum authoritate iurisperitorum est propria disputatio: ad quas ex æquo ferendas atq; interpretandas, & ingenium & iudicium & eruditionem & experientiam, adhiberi necesse est. Omnes enim humanæ vitæ partes legibus cõtinentur. Quibus nihil est (meo iudicio) magis inimicum quam id, quod nunc potissimum obtinuit. Ad cuitandũ cauillũ, cauillosa verbositas. *Quod de iurisconsultis Pannoniæ, lepidè commemorat Ludouicus Viues: dum prætermissa æquitate, vel lucro studetur, vel gloriæ. Iam quid esse potest absurdius, quàm leges, quibus omnes tenentur, ita multas & prolixas & tot inuolucris obscuras esse, vt vix hominis integra ætate perlegi, nulla quantumvis fideli memoria comprehendi: à nemine, licet peritissimo satis explicari queant. Sed, quid nos in aliena palestra? sit hactenus processisse satis.*

De officio boni & præstantis ciuis.

PRæstantem in Rep. ciuem, verborum oratorẽ, actorémque rerum esse oportet: atque ita instructum, ad Rempub. capescendam accedere. Sed id in primis videndum, qualem voluntatem & quod propositum secum afferat. Non enim vel inanis gloriæ studio, ad ostentationem; nec lucri cupiditate, quasi ad auream messem, & mercatorias nundinas, nec vt priuatim amicis consulat, aut inimicis

micis animi gratia vlciſcatur: nec otij leuandi cauſa, nec cæco fortunæ ductu huc deſcendet; ſed honeſto propoſito fine & animo in patriæ charitatem cõfirmato, vt eum ſuſcepti negotij, nunquam pudeat, pœniteat, tedeat. Capeſcendæ autem Reip. duo ſunt ingreſſus, alter parum tutus, ſed ad gloriam peridoneus. Vt à præclaro aliquo exorſus facinore, contẽptum ſimul & inuidiam exuperans, quaſi flamma ſine fumo repentè emicet. Et quamuis bella, tyrannides, triumphi deſunt: tamen legationes, iudicia, leges, & in patrociniis fides & libertas pro inopi cõtra potentem non deſunt. Item pernicioſis Magiſtratibus ſe opponere, ciuibus ſeditioſis obſiſtere, aut inter tumultuantes pacem componere ſemper licebit. Omnibus quibus in rebus, ingenium, lingua, vſus requiruntur. Altera via tuta eſt quidem, ſed humilior & minus compendiaria, vt ſeſe ad alicuius potentis patroni familiaritatem adiungat: atq; ita quemadmodum hædera alicui ſe proceræ arbori applicans, exurgat. Quod malignè facere, & gloriam patrono ſuo ſurripere (quaſi Regulus Æſopicus ab Aquila ſubuectus) nemo verè generoſus velit: quin contra potius, vt corpora polita, & terſa acceptum à ſole ſplendorem eidem referre. Ingreſſus verò & in Reipublicæ gubernaculis conſtitutus, vertere ſe inde ad mores ciuium cognoſcendos, non etiam imitandos debet. Aliud, alius populus in moribus habet: qua ergo ratione inter conciues ſuos viuatur diligenter inquirat: mutare autem mores quantumlibet peruerſos, nec facile, nec tutum erit. Sed vini naturam imitari oportet: quod primum bibentis arbitrio regitur, mox vbi incaluit, ipſum viciſſem regit. Atq; mores quidem ſuos principem

virum

virum diligenter imprimis excolere, & ab omni, præsertim conspicuo crimine depurare decet. Nihil enim nec in persona sua, nec domi suæ populũ latere posse credat, nec velit etiam. Iuxta Drusi Publicolæ exemplum memorabile, qui optabat vt omnes ciues quemadmodum domi suæ viueretur intelligerent: tanta erat probitatis & innocentiæ fiducia. Iã verò in omni Reip. parte, qualis esse debeat, præclarè & præceptis & exemplis admonuit in Politicis Plutarchus. Vt probitatis laudem ex rectè factis sibi comparet: ei eloquentiam (quæ tum valebit plurimum) adiungat: magistratus non ambiat, oblatos non repudiat. Officia, licet solus habere possit libenter communicet, inferiora etiam Reip. munia non aspernatur, sed ea potius illustret. Curet imprimis, vt potius sit desiderio quam tædio, Potẽtum amicitijs prudenter, ad Reip. vtilitatem vtatur: sibimet ipsi, nec amicum nec inimicum habeat, quin idem sit Reipublicæ. Alijs magistratibus etiam inferioribus, debitum honorem exhibeat: vt & exemplo prosit, & sibimet authoritatem conciliet. Ambitionem & auaritiam, duas Reip. labes à se procul amoueat: & in id semper, & omni studio incumbat, vt amicitia concordiaq; ciuitatis perpetua sit: & vt seditionũ principia statim præueniantur. Nam plerunq; ex scintilla incendium, atq; id facilius consequetur, si in rebus suis priuatis minimè se contentiosum præbuerit, &c.

FINIS.

TO

ΤΟ ΠΡΕΓΟΝ,

SIVE DECORVM, MA.

IOANNIS LAVRENTII.



APVT *est in omni actione nostra, Decere, quod agimus. Quod cum pauci admodũ in se teneant: tamen nemo ferè tam est hebes, quin si quid peccetur in altero, id statim perspiciat. Tum sponte nobis ipsis si quid præter decorum fiat, mox pudor incutitur, magísque alienant hominũ animos indecora, quàm decora conciliãt. Huius primũ vis est ea, vt ab honesto nequeat separari. Quippè passim, vt fertur,* Omnia bonos viros decent. *Sed est quædam latens etiam gratia & venustas, quæ nonnihil actiones nostras commendet, vnde ille:*

Gratior est pulchro veniens è corpore virtus.

Exquirãmus itáque quid, & quale illud sit, quod deceat; quod, quomodo cum omni honestate latissime fusum pateat, non est huius loci disserere. Eam vero eius partem, quæ in vniuscuiúsque vita, & in singulis partibus elucet, moderationem quandam, & temperantiam, cum specie liberali, naturæ consentaneã definimus. Etenim constantiæ, pudoris, moderationis, temperantiæ, ab ipsa natura leges impositæ nobis videntur. Quoniam, vt iustitia homines violare, ità verecundia nolit offendere. Hic prima lex statuenda est,

eſt, vt omnis noſtra actio temeritate vacet, & negligentia: vt appetitus rationi obtemperent, eámque néq; præcurrant propter temeritatem, neq; propter ignauiam deſerant. Quod niſi teneatur, non animi ſolum, ſed ipſa etiam corpora perturbantur: vt in hijs, qui ira, aut libidine, aut metu, aut voluptate commouentur: paſſim animi, quaſi de cardine ſuo moti, procumbunt, & vultus, voces, motus, ſtatúſq; commutantur, omniſq; conſtantia penitus amittitur. Ad quæ ſi quis erit natura propenſior, ſtudio tamen ea & ratione prudenter occultet, diſſimulet, minuat. Id ita fiat ſi ſe hominem frequenter meminerit, & naturæ ſuæ indolem non vitioſam ſequatur: ſi fortunæ ſibi attributæ ſe accommodet; & ſi aſſumptũ vitæ inſtitutum conſtanter tueatur. Ex quibus quatuor eliciũtur perſonæ vnicuiq; cum quadam dignitate gerendæ, viz. Vt humanæ naturæ præſtantia nihil indignum admittat; vt alienis repudiatis, bona ſua diligenter excolat, mala corrigat: vt ea quæ caſu obueniunt, & temporibus ſpectantur, ſapienter adminiſtret; & vt in viuendi ratione, bono conſilio ſuſcepta, feliciter perſeueret; qua in parte naturæ & fortunæ quædam quaſi ſocietas iniri debet, ſed naturæ ratione potiſſimum habita. Atq; hæc in vno homine: in diuerſis autem hominibus permulta ſunt perſonarum diſcrimina, Clerici, Laici, Nobilis, obſcuri, ſenis, adoleſcentis, magiſtratus, priuati, diuitis, egeni, ciuis, ruſtici, peregrini, incolæ & id genus plurium: quos & quæ ſua ſunt deceant, dedeceantq; aliena. Sed nunc de hijs non agitur. Illud enim decorum quærimus, quod perſonis, locis & temporibus aptum, omnibus factis & dictis cum moderata quadam conſtan-

constantia, decentem corporis motum etiam & statum adhibet. In his ergo sita est ferè omnis decori ratio, vt rebus, locis, temporibus, personis, dicta & facta, adeoque & vultus & totius nostri corporis habitus accommodentur. Et quamuis in singulis suas seorsim præceptiones tradere, laboris esset infiniti & fructus propè nullius (tota enim res hominem diligentem & virtutis honestatisq; studijs deditum potius, quàm doctum desiderat, & exemplis atque obseruatione incredibile dictu quanto plus, quàm præceptis proficitur) tamen breues subnectere commonitiones, ab instituto non fuerit alienum. Ac quatuor illa prima cum duobus penultimis sic coincidunt, vt altera sine alteris vix considerari possint. Factum enim siue negotium ex rerum & personarum complexu nascitur, & dicta quæcúnq; à personis proficiscuntur referuntúrq; ad personas, nec sunt rerum inania: iam vero quicquid fit dicturue, id alicubi & aliquando dici, fieriue necesse est. Sed nos ista ratione sua cohærentia, consideratione nostra paululum separemus. Nam vltimum illud quod in habitu corporis cernitur, peculiarem quandam & suam tractationem exigit. In rebus ergo id primum, ad Deos, an ad homines pertineant: nam erga Deos religio & pietas, erga homines honestas & prudentia potissimùm spectantur. In humanis rebus partim publicæ, partim priuatæ, partim mixtæ sunt, aliæ laudis, aliæ vtilitatis, aliæ delectationis, aliæ contrà participes & nonnullæ quasi hinc inde dubiæ. Quædam item vi & armis, quædam consilio & legibus, quædam simul vtrisq; administrandæ. Tum nec id contemnendum in vnaquáque re, vtrum noua, an vsitata, tuta,

tuta, an periculosa, inuidiæ obnoxia, an plausibilis, seria, an ludicra sit, & id genus innumera: quis enim omnes omnium rerum differentias breui se oratione complexurum speret? Illud autem in vniuersum scias, nullam rem, quantumlibet speciosam decere posse quæ honesta non sit. In loco similes sunt pleráque considerationes. Nam & sacer, & profanus, & celebris, & solitarius, & honestus, & inhonestus habetur. Nec illud mihi placet Aristippi, quamuis acutum & Aristippæum, Solem latrinam ingredi, nec coinquinari. Quis enim adeò nullius frontis, vt cauponam, caneam, tabernam lusoriam, aut prostibulum frequentare non erubescat: contrà autem ad templa, subsellia, iudicia, scholas, vel ventitare, laudi ducitur. Ad decorum itáq; locus ipse facit: sed nos ad discrimina locorum redeamus. Alius enim publicus, alius priuatus dicitur: & priuatus, aut noster, aut alienus est. Et si alienus, magnas pro qualitate dominorum suscipit varietates, ac multis modis distinguitur. Etenim Principum palacia, amicorum hospitia, cauponum diuersoria, non eodem modo ingredimur, nec in patria, & peregrè, in ciuitate, & ruri, atque insuper domi nostræ, in atrio, & cubiculo, in aula & conclaui nõ similiter versamur ac viuimus. Qua in parte si quid peccetur, statim ab acerbo monitore suggeritur, Nostin, vbi es? Quod ne ab inimico probri gratia obijciatur, ipsi crebra cogitatione præueniamus. Temporis est coniunctissima cum loco natura. Itaque opportunitatem in vtrisq; ponimus, & occasionem ex vtróque captamus: & hic tempus esse, & versa vice, nunc esse agendi, seu non agendi locum dicimus, parteſq; partibus aptè respondent, vt

hic & nunc, ibi & tunc, aliquando & alicubi, nusquam, & nunquam, & de vtróque promiscuè, ante & post: pari, licet dissimili ratione adhibentur. Sed quò dilabimur, aut quorsum hæc? Decorum loci & temporis, non naturam quærimus: & quamuis sint multis inter se modis finitima, satis apertè tamen distingui possunt & distinguuntur. Quippe belli & pacis, quieta, & turbulenta tempora dicimus: item sacrorum, studij, feriationis, luctus, lætitiæ, conuiuij, consilij, omnium denique actionum nostrarum quasi sua sint tempora, non magis annis & annorum partibus, aut die & nocte, quàm rerum agendarum vicibus, & varietate discriminata: eorúmq; tanta vis est, vt mores, leges, exercitia præterea omnia, & sermo, ædificia, vestimenta, tam publicè quàm priuatim, cum temporibus commutentur, & qui loci & temporis rationem non habet, nõ ille decori, sed sui penitus, (vt est in ore vulgi) oblitus dicatur. Iam verò personarum tam multiplices sunt varietates, vt ad vnam normam redigi non possint. Nam & nostræ personæ spectandæ prorsum diligenter & sine amore sui vnicuique intuendæ: & pari modo alienæ, relatione primum ad nosmetipsos habita, quo gradu necessitudinis nos contingant: vt parentes, consanguinei, amici, familiares, domestici, vicini, concines, conterranei; & è regione, alieni, ignoti, alienigenæ, inimici: atq; hæc quoad nos: deinde quoad eos ipsos, & iuxta publicam ipsorum æstimationem, & censum. Vt clerici, an laici; nobiles, an plebeij; magistratus, an priuati; docti, an indocti; opulenti, an egeni; vrbani an rustici habeantur. Etenim, personas hominum fere ex his, genere, honore, potentia, opibus, sexu, ætate, vi-

ta instituto, arte aliqua, forma & habitu, caterisq; & animi, & corporis, & fortunæ attributis, rhetorum more pensitamus: ex quibus facile cernitur, quid inter nos & illos intersit, pares ne inter nos, an superiores, inferiorésue simus: vt quo loco & nos ab illis habendi, & nos illos habituri simus, statim intelligatur. Sed incidunt interdum personarum quasi collisiones quædam, vt idem sit magistratus & filius, (sic Præses Cretæ apud Gellium) idem amicus & iudex, inimicus & cognatus, idē genere præstantior, sed potestate minor, opibus ditior, sed inhonoratior, & id genus similes: vt ambiguum sit, & quid illis præstare, & quid ab illis vicissim expectari deceat. Quod cum acciderit, sequamur Comici consilium, Nemini nosmet præponentes, sed potius aliquid de iure nostro concedamus, plusque largiamur etiam minus dignis de nostro, quam exigamus de alieno. Illud .x. præcipuè bene morati hominis esse videtur non suos solum mores habere compositos & commodos, sed & aliorum paulo difficiliores commodè perferre ac pati. Tum in personis non id semper spectandum solummodò, quis aut qualis vnusquisque sit, sed etiam cuius vicem gerat, cuiusque agat causam: vt licet sua ipsius causa minus mereatur, plus tamē aliena impetret. Quippe id fieri, sibi quisque tacitus postulat, & ij, quorum gratia fit, quasi sibimet ipsis factum interpretantur, multáque decent nuncium, & alienam personam gerentem, quæ illum ipsum in sua persona minime decerent. Post hæc autem quæ sit dictis factisque adhibenda moderatio paucis videamus. Eius sane disputationis bona pars superiori oratione exhausta est, nec quid superesse videtur, nisi vt con-

sulta prudentia (sine qua inanis est hæc omnis Decori inquisitio) ordinem, constantiam, & modum vbiq; in omni vita tenere meminerimus. Et quanquam occultæ sunt cogitationes nostræ, imisq; pectoribus abditæ, verè tamen hoc mihi videor esse dicturus, quod consequi hanc laudem, quam tãtoperè optamus, omnino nunquam poterimus, nisi subiectu rationi cupiditatibus, animum ab omni morbo & labe vacuũ honestis cogitationibus et consilijs priùs instruamus. Quomodo .n. aut incensus ira, aut libidine exardescens aut elatus lætitia, aut metu dejectus, moderari sibi poterit, aut decenter facere? Cum ea primum lex tradita sit, vt rationẽ sine perturbatione sequamur. Quare ante omnia sic animũ inducamus, voluntates q; & cogitationes omnes, eo conferamus: nihil vt cupiamus, nihil velimus, nihil cogitemus, nisi cum honesto .i. decori fonte consentaneũ: quo fundamẽto sublato, quicquid superstruxerimus corruet. Profectò, vt habet prouerbium Ex abũdãtia cordis os loquitur, imo tota vita ducitur. Quid? quod animo ab his motibus libero, & honesta prædito voluntate, illa quoq; tria facilè tuebimur: ordinẽ sine perturbatione, constantiam sine leuitate, & sine excessu modum. Quarum rerum si quis leuia putet esse momenta, næ ille vehementer errat. Namq; ordo non solum rectius atq; decẽtius, sed etiam facilius expeditiusq; vt res efficiantur, facit: in dictis verò & factis, nisi constanter permanserimus, grauissimã leuitatis & inconstantiæ notam effugere nõ possumus. Modus autẽ tam est necessarius, vt sapiẽs poeta id imprimis vtile in vita duxerit, vt Nequid nimis, aureis vbiq; literis exarandum elogiũ. Quid ego hoc loco præcipiã de his, quæ

præclarè

præclarè cupientibus obstare solent, qualia sunt, diffidentia sui, timiditas, nimiusq; pudor, et vitiosa verecundia & quæ in diuersum præcipites impellunt, vt falsa de se persuasio, inconsiderata temeritas & impudentia: quæq; à benè cœptis dehortantur et auocant, fuga laboris voluptatisq; appetitio: & quæ sub spe rectæ pernitiosissimè blandiuntur, vt scurrilitas pro vrbanitate, pro grauitate morositas, & alia infinita, quibus vltra citráq; peccatur. Veniamus tãdem ad vltimam distributionis nostræ partẽ, cuius tractationẽ idcirco à reliquis secludendam annotauimus, quod non erga alios vt cætera, sed in nobismetipsis penitus inspiciatur. Hoc loco considerabũtur corporis habitus, victus, vestitus. Deinde vultus, forma, color, tum gestus, status, incessus, accubatio, sessio, ac postremò sermo, lingua, vox, sonus. Quibus in singulis, cum quæ cõsideranda sunt breuiter proposuerimus, quid in propositis eligendũ fugiendúmue sit, mediocris prudentiæ fuerit discernere. Corpus igitur ipsum ex lineamẽtis suis metimur, ita longũ breuémq;, crassum & gracilẽ, obesum aut macilentũ hominẽ describimus: atque hæc statura est, cuius imprimis laudatur, cum apta & æquabili membrorũ proportione, mediocritas. Valetudo corporis (proximũ à sapientia, Dei beneficiũ & rerum agendarũ vnicũ subsidiũ) ita iudicatur, si à morbo & mutilatione penitus absit, vt singuli artus atque articuli, sine impedimento atq; dolore, functionem suam possint peragere: quæ si desit, prõpta est infirmitatis excusatio, quæ valentibus & integris non conceditur. Robur autem, vis & agilitas, & omnimodæ corporis ad agendũ facultates atq; potentiæ, tum demum decent & laudem consequuntur, cùm

honestis actionibus impendũtur. Sin minus, quanto quis robustior, tãto immanior habendus est bellua. Victus autem eum habere debet modũ, vt necessitati naturæ, pro cuiusq; corporis habitudine, sanitate & viribus satisfaciat. Nec est improbanda mẽsarum mundities, sed detestanda prorsus ingluuies. Quod si voluptatis illecebris irretitus aliquid gulæ concesseris, non modo decor omnis amittitur, sed quicquid est in vniuerso homine præclarum: hinc morborũ lues, luxuriæ supplicia: hinc ingeniorum tarditates: hinc effusiones patrimoniorũ, hinc sexcenta ex omni latere malorũ agmine sese ingerunt: ebrietas, crapula, futilitas, somnolentia, inertia, egestas, furta, cædes, libidines, infamiæ, & quid nõ? Vt paucis absoluam, Barathrum vitæ & Charybdis est venter; rei simul ac spei bonæ scopulus. Vestitũ partim necessitati, partim honestati et existimationi tribuere decet: ad ostentationẽ verò & voluptatem sese ornare, aut leuitatis, aut intemperantiæ suspicione nõ vacat. Quantum autem in apparatu corporis vnicuiq; liceat, et quid singulos deceat, patrij mores legésq;, et status atq; conditio cuiusq;, pro persona, facultatibus, atque ætate, facilius quã vlla præcepta edocebunt: Nunc vultum intueamur, in quo est forma, & quædã virilis dignitas (nam venustatem mulieribus relinquamus) eam negligere non debemus, diligere verò & diligenter excolere, multo minus: tum color, quem non pigmentis, sed valetudine & exercitatione tueri oportet, denique oculi, frons, supercilia, taciti animorum indices (nisi res aliud imperet) animũ compositũ & tranquillum loquantur. Absint crebræ oculorũ, huc illuc, sursum atque deorsum, cõiectiones: nec sit hebes et assiduus

obtutus

obtutus tamen: ſupercilia nec eleuẽtur, nec depreſſa conniueant; frons nec caperata ſit, nec exporrecta: Imitemúrq; quantũ licet, Socraticam conſtãtiam, eodem ſemper vultu prodeuntẽ: quanquam (vt ſeſe nunc res habent) præſtiterit fortaſſe interdum Ariſtippi more, vultum habere in manu, et prore nata fingere; ſic tamen, vt euitetur inconſtantia, cui nũquã cum decoro conuenit. De geſtu permulta Rhetorum ſunt præcepta, ſed concionibus fortaſſe, quam communi conſuetudini accomodatiora. Nam, vt actioni omnes partes tribuat in dicendo Demoſthenes, nec id ego tanto viro negauerim, at in colloquendo certè nihil tam hominem reddit ridiculum, quàm nimia geſticulatio. Vndè neſcio quis facetè de Italis, quod eſſent in geſtu plus ſatis occupati, eos in tenebris neſcire loqui pronuntiauit. Sed quoniam breuitas mihi propoſita eſt, vtpote in re copioſa & ſatis aliàs explicata, hæc ſumma eſto: vt in omni actione noſtra, ſiue ſtamus ſiue incedimus, ſiue accũbimus ſedemúſue, corpus vniuerſum et ſingula mẽbra, recta & virili quadam, naturaliq; diſpoſitione & ordine quaſi in ſua ſede confirmẽtur & cõquieſcant. Nam nec athletico more ſe in digitos erigere, nec contrà ſeniliter humeros incuruare nec mobile, nec prorſus immotum caput gerere decuerit: ſed eſt medius quidam membrorum ſitus & collocatio nõ indecora. Qua in re plurimũ debemus ipſi naturæ, quæ ad vtilitatem noſtram quaſi dedita opera effecit, vt id ipſum quod deceret, quodq; honeſtatis in ſe haberet plurimũ, idem (niſi peruerſa cõſuetudine abduceremur) et cõmodiſſimum ad ſalutem & vſu quoq; facillimũ fieret. Quare, ſiue ſtandum, ſiue inambulandum, conſedendumue ſit, vſu ad illam naturalem

turalem rectitudinem diligenter conformemur, in eaq3 permaneamus quantum licet: Namque hunc compositũ corporis statũ perturbare, vt stare quasi soluta neruorum compage, vel diuaricatis tibijs, aut accumbere in cubitos pronũ: siue cum circulorũ delicata pompa, aut contra passu militari ingredi, aut alio quouis modo ad mollitiem, seu rusticitatẽ sese dare, adeo nõ decet, vt ferè tantũ vbiq3 peccari sciat quãtum à naturali statu declinatur. Solæ autẽ manus interdum argutæ & loquaces esse volunt, sed sic tamen, vt modus, qui est vbiq3 optimus, hic imprimis teneatur. Quare manuũ, vt summatim dicam, nec nullus, nec nimius sit motus, & ille medius etiã sine conspicua & palam quæsita venustate. Atq3 vt modestus hic membrorum motus oculos hominum allicit atque delectat, ità magis etiã aures sermo elegans, vrbanus, & nulla in re rudis demulcet ac detinet: cui tanto diligẽtius danda est opera, quantò potentius in animis dominatur. Etenim regina rerũ est oratio, nõ illa solum forensis & oratoria, sed etiam vulgaris hæc & quotidiana, quã rectius fortasse sermonẽ dixerimus. Sermo igitur (de quo nunc superest) in rebus et verbis collocatur. Eum debere negotijs & personis esse parẽ, locis & tẽporibus idoneum, & quasi cancellis quibusdã circumseptũ, tritius est, quàm vt admoneri debeat, & nolo singula minutius exequi. Capita autem sunt hæc: vt res, quas in sermone tractamus, honestæ sint, prudenter cogitatæ, & cum hominum opinione consentaneæ. Longè enim à Cynicorum abesse debemus turpitudine, nec quicquã nisi castũ et verecundum decere, nec effutire quicquid in buccã venerit, sed res quasi ponderibus suis libratas, aliquo sapientiæ, vt sic dicam,

eam, ſale cõſpergere, nec tamen ſemper Platonem aut Ariſtotelem loqui, (quo vitio plerig, laborant ſtudioſi) ſed res ab eis acceptas, ad populi ſenſum accõmodare, quippe Sentiendũ vt pauci, loquendum vt multi. Quod qui non ſatis tenent, dũ ſtultis eruditi videri volunt, ipſi eruditis ſtulti videntur. Iam verborũ cura tanto magis commendatur, quanto minus eſt curioſa: nam ſcrupuloſa vocum conquiſitio, et anxietas in re tam parua (ſunt enim verba nihil niſi notæ et ſimulachra rerũ) cum cogitationis aciẽ obtundit, tum põdus orationis eleuat, & gratiã omnem amittit: nam qui elegãtes & prudentes hoc modo haberi nimis ſedulò affectant, pro inſulſis & putidis deridentur. Quare ponatur omnis affectatio, ſed ita tamen, vt delectus aliquis adhibeatur, adhibebitur autẽ in his tribus: ſi verborũ proprietati, ſignificationi & breuitati ſtudeamus. Proprietas priſca, peregrina, aliena, noua reiicit: ſignificatio ex duobus pluribúſue aptius & ſonantius eligit; breuitas tædiũ pellit, & ſuperflua circũcidit. Nõ eſt enim eiuſdẽ & multa & opportuna dicere. Collocationis verò in verbis abũdè ratio habebitur, ſi vitetur Κακοφωνία et ſuauitati ſeruiatur: niſi ſi quãdo ſcitè dictũ ſe offerat, cuius venuſtas ſine dictionis ſtructura pereat. Hæc de ipſo ſermone, cui nonnullã prætereà gratiã illa foris cõciliant, linguæ expedita, vox clara, ſonus mollis. Naturæ ſunt iſta (inquis) & ego non diffiteor, ſed mutuus eſt artis & naturæ ad omnem perfectionem conſenſus; vt ſicubi natura leuiter exorbitet atque aberret, eam ars reuocet & quaſi in ordinem redigat. Linguam ergò nõ celerem aut volubilẽ, nec hæſitantem aut tardam volumus, ſed quæ ductum orationis pari pronuntiationis tractu

ctu sequatur, quæq; nec faucibus hæreat, nec dentibus allidatur, nec palato subsultet, nec præceps volutetur & vaga, verùm ab omni impedimẽto soluta, liberè feratur & expeditè. Deinde vocem certa quædam & sua formant instrumenta, ea perpurgata diligenter esse oportet, quibus malè affectis, omnis splendor in voce, quamuis alioqui clarissima, flaccessit & obscuratur. Maxima commendatio vocis est vt clara sit, tenore quodam ita temperata, vt nec vim faciat auribus, nec attentionis diligentiam frustretur; proxima vt æqualis sit, & sibi ipsi consona, nec grauior cadat, nec exurgat acutior, nisi re postulante. Tertia deniq; vt flexibilis sit, & pro rerum varietate varia, ne similitudo satietatẽ pariat. Sed vocem alere, augere, tueri, recuperare: à phonascis hæc petenda sunt. Postremò, ineſt in ipsa voce sonus quidã, qui etsi est natura cuique suus, tamen ab arte non reijcitur, licet nõ arte satis edoceri possit. Eius tanta vis est, vt eloquẽtissimus ille Theophrastus, cùm iam multos Athenis annos habitasset, ab anicula, ex ipsõ literarum sono, pro hospite & alienigena agnitus sit & salutatus; & nos ignotos, & nostrates & eadẽ lingua vtẽtes statim cuius regionis sint agnoscimus, eodemq; argumento maximè vrbanos ab agricolis distinguimus. Latiùs enim hi & crassius sonant, arctius illi & rotundius. Sed ille sonus ferè optimus habetur, qui est ipsarum literarum proprius, & naturalis & nullo oris vicio depranatus. Nam literas vel opprimere, vel exprimere violentum: mediũ ergo vbique teneamus, nisi vsus (penes quẽ norma loquendi) & idioma diuersum præcipiãt. Ducta sunt nobis qualiacunque rudi penicillo decori lineamenta, quæ si

quis

quis ſuis coloribus in viuam velit imaginem diducere, næ ille opus efficiet omnibus Zeuxis *aut* Polycleti *operibus præſtantius. Verũ iſta nobis ſuffecerint: illud tantũ loco colophonis addidiſſe nõ piguerit; Rem omnẽ diligenti potius & aſſidua obſeruatione, quam præceptis vllis addiſci. Longũ iter per præcepta, breue & efficax per exempla. Quare, & tu alios omnes abſq; carpendi ſtudio diligenter obſerua, & te viciſſim obſeruari ab omnibus puta. Duo ſunt capita; primum oculos atq; aures hominum non offendere, alterum placere etiam. Præclarum hoc, illud neceſſarium. Quod ſi eminentiſſima bona conſequi non poſſis, at conſpicua vitia fac vt fugias. Sæpè ergò reuocans te ipſum & in te rediens, verba hæc duo tecum reuolue:* Quid ago? *Explora teipſum, nec delinquenti tibi quicquam ignoſcas. Aliena itẽ vitia, iuxta Publij conſilium,* Noueris tu quidem, at non oderis. *Sed illud ſtatim Platonicũ ſuccurrat,* Nunquid ego talis? *Sic & tua vicia prudenter emendabis, & tutò de alienis exemplum capies. Durum id quidem, ſed tamen (incipienti præſertim) neceſſarium, omnes quibuſcum degimus (abſit verbo inuidia) quodammodo ſuſpectos habere, & tacitos morum noſtrorum ſpectatores & arbitros exiſtimare: eóſq; aut reuereri, aut aliquo modo metuere. Non verebor dicere quid ſentiam, nihil eſt hoc vno efficacius. Quod quam ſit verum & quam latè pateat, tacitus apud ſe quiſq; cogitet. Expertus loquor,* Maxima peccandi tollitur *occaſio, ſi tollatur ſecuritas.*

Sans Dieu rien.

FINIS.

Nunquam ſerò ſapere.

Era eſt illa quidem, & mihi ferè cũ populo cõmunis quęrela, Perijſſe nonnullã exacti tẽporis partẽ: ita vix dum vir, ita viri omnes, ita maximè ſenes loquuntur: & quod eſt indigniſsimum cõqueruntur omnes quod nemo corrigit. Exemplũ nec ab alijs capimus nec à nobiſmetipſis: ſed in hoc profectò fallimur, quod in præteritum reſpicientes magna ſpe deijcimur, cum magnam opportunitatem præterlapſam à tergo contemplemur: tum ſequentis ætatis ſpem præſumpta deſperatione anticipamus, & quaſi non ſit perdidiſſe ſatis, adhuc perdimus. Non diſsimiles aleatoribus & aſotis quibuſdam qui maxima patrimonij parte abſumpta, & ſpe recuperandi pariter abiecta, non extremas ſarcinas colligunt, ſed infœlices reliquias Orco & manibus deuouent.

Sic ne perdiderit, non ceſſat perdere luſor.

Quid enim? Temporis vſuram in otium aut etiam in negotium otio peius impendiſti magna iactura: miſer qui non præuideris, at miſerrimus ſi nec adhuc videas, iterum atque iterum dolebis niſi iam tempore caueris. Quæritur de pueritia adoleſcens, amiſſam exclamat iuuentutem vir, omnem ætatem deplorat ſenex: beatiſsimus qui ſtatim cauit, non infœlix qui aliquando, miſerrimus qui nunquam. Sed profectò falſa pleróſque & pernicioſa tenet perſuaſio, prouectiorem

ætatem

ætatem prorſus ad literarum ſtudia & virtutis indocilem eſſe ac hebetem: niſi aſsiduè ab incunabilis aſſueuerit, iuxta illud Poetæ,

Optima quæq; dies, miſeris mortalibus æui
Prima fugit, &c.

Quod ſi rectè accipiatur nihil huic errori patrocinari poteſt: neque enim ad contumeliã ſenectutis, ſed ad cohortationem iuuẽtutis iſta dicũtur. Neque ſanè negauerim, tamen multa magnáque adiumenta in teneris annis ad præclaram laudem accommodari, quibus fortaſſe deſtituantur prouecti: neque poteſt eſſe ſtimulus acrior, quam cũ dicitur, Amitti præclaram rei benè gerendæ occaſionem, grauia impedimenta pone ſequi, itaque à fronte inſtandũ, non vt quis aliquãdo diffidat, ſed vt maturè incipiat. Quod ſi in diuerſum vrgeatur, primam & optimã ſtatim fugere, nihil poteſt dici abſurdius, hominem in decrementũ ſuum creſcere: quantũ annis addit tãtum fœlicitati ſuæ demere, Virgilium puerum balbutientem, eodem viro & poeta meliorem beatioremque atque ita ſapientiorẽ quoque: hæc profectò non modo tantus poeta, ſed nec ſanus quiſquam dixerit. Nulla igitur ætas omnibus eſt benè viuendi deſtituta ſubſidijs, niſi quæ ſeipſam deſerit. Socraticæ ſenectutis & Catonianæ intueamur exẽpla: quorum vterque ſenex nec ineptum ſe nec inuitum præbuit ad ea diſcenda quæ pueri etiam docentur. Præclarè Plato nõ dubitauit eum beatum dicere, qui vel decrepitus ad philoſophiam aſpiraſſet. Deſinamus ergo deſperare, conqueri, animũ deſpondere: nec reijciamus ſemper oculos ad præteritum,

tum, quin etiam in futurū prospiciamus acrius. præsenti autem (quod vnicum nostrum est) auidè manū injiciamus. Quotidiè comparemus aliquid quod vsui nobis esse possit, vel ad agendā cōmodius vitam si suppetat, vel ad mortem facilius tolerandam si incumbat, omni die aliquis ad sapientiam prouehatur gradus: non enim impetu eo peruenitur sed assiduitate, nec est vnius diei Cōmentatio vt sapias, tota vita agendū est.

Commentationes quotidianæ.

1

Marcus Cato apud M. Ciceronem in Senectute, Nemo adhuc (*inquit*) conuenire me valuit quin fuerim occupatus. *Et alibi*, Exiturus domo quid agendū, reuersus quid actum sit meditor. *Et paulò post*, Pythagoræorumque more exercēdæ memoriæ gratia, quid quoquo die dixerim, audierim, egerim, commemoro vesperi. *Hæc ille. Ex hijs ergo duobus fontibus celebris illa ad æternitatem vsq; manasse videtur sapiētia: quod & otiū cuius acriorē quā negotij rationem exigebat Solon, rectè collocare soleret, viz. in rerum gestarum, gerendarúmue consideratione: et experientiam omnimodam quasi solertis prudentiæ matrem frequēti recordatione colligeret. Bellissimū quippe vitæ nostræ viaticū experientia, experientiæ autem subsidium memoria, memoriæ literæ: nec sumus omnes Themistocles, vt magno nobis cōparanda sit obliuio, adest enim plærisq; mihi præsertim supra quam velim officiosa: magnámq; habeo Simonidi gratiam, non tam meo quam generis humani nomine, qui memoriam quoquo modo adiuuerit:*

iuuerit: maiorẽ verò, imo multo maximã vel Cadmo, vel Euãdro, vel quisquis ille fuerit, cuius diuino beneficio literarũ monumẽta memoriæ immortalitatem consecrarunt. Hijs igitur ego non dubitabo Catonis exemplo, quicquid aliquando dixerim, audierim, viderim, legerim, egerim, quasi fidelissimis custodibus subinde committere: vt recordatio experientiam rerum congerat, commentatio memoriam nimis alioqui labilem confirmet. Lusurus operam fortasse, inquit aliquis: & prorsus sanè, nisi mihi & meis musis canerem. Nũc verò quis me prohibeat similes meis l[illegible]is lactucas struere, & ad domesticam quotidiè disciplinam, pridie commentari quod postridie agam.

Est animus tantum.

2

ANimum me iam statim despondentem cum recens Aulicis essem tyrocinijs initiatus, T. Dræ aulica ster olim condiscipulus tum cõtubernalis etiam meus, hijs verbis nescio quomodo excitauit atque erexit: Est animus tantum, *inquit. Quod primum, cum altius animo insedisset, non tam ratione (credo) & visua, quam oportunitate potius & imbecillitate mea valuit, languentémq; quoquomodo recreauit. Postea verò, etiam aliquem ad res vel agendas libentius, vel ferendas æquius, addere subinde stimulum videbatur & nonnihil cohortari. Ita enim se res habet; nihil vt dextrè, nihil vt feliciter egeris, inuita (quod aiunt) Minerua, i. animo auerso & reluctãte. Contra autẽ Amanti nihil difficile. Ita multum iam nunc profecit, quisquis ex animo voluit. Quod si tam benignè*

tecum

tecum agat fortuna, vt electionem instituti, quo velis viuere, arbitrio tuo permittat, iubeam te optimũ idémque animo tuo accõmodatiss. eligere, quo nihil esse potest beatius. Sin è regione parum propicia, in necessitatis adeo pistrinum te detruserit; tamen hic quoq; Multum iuuat animus (quod dici solet) in re mala bonus; vt interdum ex ipsa necessitate virtutem efficiat. Vt vbiq; Senecæ illudin vtranque partem comperiatur verissimũ, Nihil esse graue quod leuiter accipias, nec quicquam recte fieri, quod facias inuitus.

Consuetudo Tyranna, & obiter de sodalitate.

3

NOn male dixit, quisquis dixit; Tyrannam esse consuetudinem. Multum sane in vtranq; partem publicè priuatímq; dominatur. Vsque adeò vt non aliunde plura bona malaúe (prout in alterutrã partem incubuerit) hominibus importata videas, sed de publicis moribus aliâs. Mihi ipsi quantum hactenus praua consuetudo nocuerit probè sum conscius, vt qui annos iam aliquot plura ex corsuetudine quam ex ratione fecerim, nec alia de causa quam quia consueueram. Ad eam rem primum quasi aditum dabat præpostera voluptatis affectatio. Tum eorum hominum conuersatio quorum ego falso splendore captus, lepidus colluſor, compotor, congerro esse gestiebam; id mihi, iam tum magno malo & in reliquam ætatem nõ exiguo fuisse detrimento, reipsa edoctus comperi. Nam rei, famæ, temporis, magnam iam statim iacturam faciebam; & munificentiss. heri spem vehementer

hementer auertebã; & multas lucri rerúmque cognoscendarum & amicitiarum occasiones, aut absens aut hijs modis impeditus prætermittebam. Deinde verò distracta sodalitate & mutata sede, ne nihil ex consuetudinis schola didicisse viderer, qui pridem discipulus fueram, factus repente nequitiæ magister, cum solus nepotari non essem solitus, in alieno loco cõmilitones asciscо, sollicito, lacesso. Itáq; breui profectum est; vt, ocium ad œnopolium; museum ad genæceum, literas ad lusus transtulerim. Quod vbi paululum insueuisset noua iam sodalitate constituta, quamuis & amicorum consilia, & fama, & rei detrimentum, & mei loci conditio, & ipsa hijs omnibus suffragata ratio, finem modúmq; suaderent; retraxit tamen & vel inuitum apud se detinuit, violenta consuetudo. Et illa quasi in mutuam perniciem coniurata sodalitas; qua non aliã facilè iuuentuti pestem aut incundiorem, aut exitialiorem reperias amicitiæ titulo inimicissimã. Sed serò Phryges: verumtamen ne iterum in eodem harenã luto, omnis mihi diligenter excutienda est vitæ ratio; videndum quid cuiusq; hominis societas ad rationes meas faciat, quantum inde ad rem augẽdam; ad existimationem; ad famam; ad virtutem aut doctrinam, ad artem aliquam aut qualitatem liberalem, ad vsum denique aut experientiam sperari possit, aut contra; commodáq; & incommoda in rationis libripendio pensitanda, vt intelligatur vtra vtris præponderent; vbi illud attẽtè vide, Spem præcio ne emas. Tum eisdem rationis oculis omnes tuas quotidianas & consuetudinarias actiones collustra. Hic si qua consuetudo resideat, quæ cum ratione non consentiat, quæ cum vitæ in-

ſtituto pugnet, quam aliquando deponere neceſſe ſit, cuius fieri poſſit vt vel pæniteat vel pudeat; eam protenus, (nam omnis mora in damno eſt) aut deſuetudine abrogabis, aut contraria conſuetudine expelles. Durum id quidem; ſed Malo nodo malus quærendus cuneus, *dormire primis tenebris aſſuetus, in mediam noctem aliquando (ſed rarius) ambulans, confabulans, ſtudens, vrgente ſomno vigilias protrahe; ſtertere in multam lucem ſolitus, primum mane, immo primum gallicinium præuerte: compotationibus ſuperfluis deditus, interdum ſiccitatem perfer; guloſus, ieiunium; ſodalitijs implicitus, ad ſolitudinem te confer; ſed eam literatam & minimè ſolitariam. Ocioſus negotium meditare, & ſtatim perage: ſi nullum ſit aliquod confinge; præſtat enim rem nihili quam nihil agere; aleæ addictus & luſui; temporis iacturam; ſalutis attenuationem; animi inanem curam; lucri & damni incertas vices cogita. Hijs ne delecteris caue; neue quenquam aliquando ipſe prouoces; prouocatus, ſi excuſationi non ſit locus, quam citiſſimè te reuoca. Nec titillante voluptate differas, caue; quin ſtatim, quaſi abruptis vinculis, in libertatem te vindica; cuinces tandem vt ne deſideres quidem, ſi ſemel aſſueſcere deſineris.*

Occaſio ineſcanda.

4

MOuet me nonnihil Occaſionis capillata frõte & comite pœnitentia eleganter efficta imago. Tum illud quod eſt à ſapiente dictum, Id homini metuendum maximè, ne fœlicitatem ſuam excluderet, nulli enim tam infeſtã ſemper

ſemper eſſe fortunam quin aliquando melioris ſpei feneſtram aperiret, niſi ipſe ad oblatam lucem cæcutiat. *Sed eſt tamen opportunitas quædã, quàm & aduentantem captando aliqui effugarũt, & fugientẽ plures fruſtra ſunt à tergo ſecuti. Laudatur eo potiſſimum nomine Ariſtippus quòd ingenium haberet loco, tempori, perſonis accomodum: quod omnẽ occaſionem prehendere & premere didiciſſet: eius facultatis bona pars in natura erat poſita plus etiam in philoſophia, quæ (vt ipſe teſtatur) docuit eum confidenter apud omnes loqui. Quæ confidentia, ſicuti contra anxietas, ex bona conſcientia & affectuum vacuitate mihi videtur profecta. Et quoniam Occaſio maximè ex hijs tribus ſpectatur, id frequenter cogitatione verſemus; quæ temporis condicio, quæ loci opportunitas, & inter quos qualeſq; verſamur. Quæ omnia ad te quaſi conuerſa regula remetiaris oportet, nam vt te illis accommodãdum dixi, ita tibi viciſſem illa (niſi commoda videantur) celeriter relinquenda cenſeo: atque vt arripere occaſionem prudentiæ fuerit, ita alijs præbere vix tutum. Sed de his alias. Nullus autem locus tam ſterilis, quin aut otium aut negotium det, nullum tempus quod omni occaſione deſtituatur, nemo homo à quo non aliquid. Quam præclaras ego me occaſiones et rei faciẽdæ et augendæ doctrinæ ſemel atq; iterum amiſiſſe, & ſerò recordor, et ſeriò doleo!*

Quid, & quomodo.

5

Quemadmodum iter facturi ſolent primum quaſi viæ metam quò velint peruenire; tũ ipſam (quà eundum ſit) viam animo præ-

ambulare; ita in omni negotio similiter est faciendum siue dicendum quid, siue agendum sit. Vt primùm rem ipsam, tum rei agēdæ modum spectemus. In rei consideratione sunt hæc, honesta, vtilis, facilis, an contra sit? periculosa an expedita? an vtilitas, periculo, labori, sumptui, tempori, abundè sit respensura? an sit aliquid aliud quod maiore compendio possit comparari? In modo vitandæ sunt omnes ambages, & quasi viarum anfractus declinandæ; præmenda omnis occasio, sed inprimis personarum spectandi mores quibuscum tibi negotium futurum est. Cum fraudulento non temerè contrahes, à fœneratore non accipies, ab auaro non petes, non debebis egenti, non dabis arroganti, nō negabis homini frugi. Sed hæc pauca de innumeris, illud summatim, spectentur vniuscuiusq; mores, ita rarius votis frustrabere. Nec eos tantum spectes iubeo, qui quasi extremi sunt actores; sed & si qui medij, qui aut prodesse possūt, aut obesse. Et hoc versa vice vtrinque videndum, vel cùm tu ad alios, vel cùm alij ad te negotium defrant.

Ne quid præter rem, nec nisi re confecta.

6

MArco Manlio siue ille plebi libertatem, siue regnū sibi quærebat, vix obsisti potuisse videtur: nisi concione domi suæ habita, incubare Gallicis thesauris quosdam Senatorū insimulasset: qua oratione & plebis animos antè sibi deditos, in eam rem totos conuertit; & Dictatori ansam præbuit, vt eum de falsō iudicio argueret. Theocritus item, veniam apud Antigonum impetrasset,

trasset, nisi illum alieno scommate, & importuno irritasset: & alij similes plerunq; in concionibus & in rebus gerendis offensiones experti sunt. Equidem παίγνια ferè periculosa sunt, & vt est in Prouerbio, Non est eiusdem & multa & opportunè dicere. *Et vt bellè dicatur, agatúrque tamen periculum est, si παίγνια sint, ne illud audiamus,* Bellè hoc quidē sed quorsum? *cauendum autem id cum vbique & semper, tū in legationibus & nuntijs præcipuè. Hoc vitium subinde solet euenire imprudentia & incuria, confidentia alias, nonnunquam laudis cupiditate, sæpius insectandi odio, item & loquendi quodam pruritu. Veluti nuper* R.Y. *homini impendio loquaci apud Vicecancellarium Oxonij accidit, vt bonā causam fauente etiam Iudice aduersus* I. H *perderet, dum animo & linguæ in hijs quæ præter rem erant indulget. Huic dispar est illud, sed tamen huc quoque referendum, quod de Pompeio, (cur enim non à maximis viris de minimis rebus admoneamur) non sine suo periculo dixit Cæsar:* Scire eum vincere, sed nescire vti victoria. *Iremomnem cōficere. Quo effectū est vt ille alijq; multi maximis negotijs turpissimè exciderint. Ea namq; est quorūdam re fœliciter inchoata securitas: at* Dimidium facti, nō factū qui benè cœpit habet. *Quod mihi ipsi, in negotio* H.B. *apud Episcopum Glouestrens. nimia procrastinatione & confidentia vsu venit. Quanto rectius igitur M. Cicero:* Quia tu (*inquit*) nisi re perfecta de me non conquiesti, &c. *Hac vt ita loquar, supinitate maxima grauissimáque bella in rep. renascuntur: litigiorū semisepultæ reliquiæ inter priuatos reuiriscunt et pestiferè morborū faces in corporib. recrudescunt. Quare in vtrāq;*

partem ita breuiter præceptum est, vt in omni negotio, Caput petas, Calcem premas.

Cura tibi secura sit, nam Gratia crocodilus.

7

VIx scio quemadmodum contemperari hæc duo possint, vt cura quædam in securitate insit; contraque in ipsa cura securitas. Lib. m, eucùm ab eo quærerem, qua tueri ratione posse fauorem Episcopi, quem videbar eximio quodam erga me affectu agnoscere, Si eum non cures inquit: at è regione alij, ad fauorem emerendum, omnem anxietatem præcipiunt. Et sanè ita est: nam quidam nimis officiosa diligentia miserè se cruciant, nec tamen grati sunt; quippe nescio quomodo ipsa odio est operosa sedulitas. At alij quasi aliud agentes, & planè ocioſi idipsum agunt maximè, et mirificè placent: dum malunt desiderio esse quàm tadio. Quod cùm in ipso (vt sic dicam) seruiendi curriculo tenendum inprimis sit, tum est in singulis rebus agendis, non ingrata quædam negligentia, sed ea tamen nequaquam dissoluta & supina. Quod in Aulico suo prudenter admonet Baldasser Castalio, vt affectatio & curiositas vbiq; vitetur: adhibeaturque in omni actionũ genere grata spectantibus incuria; qua artis dissimuletur operositas, nec tam artificio, labore, studio; quam natura, quæ facit, facere videatur; & vt aliter propemodum, ne posse quidem facere existimetur. Cuius rei geminus est fructus, vt & illud gratius sit quicquid est quod geritur: et offensio minor sit (quæ ipsa tamen diligenter est declinan-

elinanda) dum posse melius si adhibuerit animum creditur; & incuria non insciti a reprehenditur. Ita & maiorem commendationem, & eadem opera faciliorem emeretur veniam. Contra qui incumbere in negotium etiam minutius, animo, sensu, totoque corpore animaduertuntur: eorum dum in opere desudant, quasi miserè laborãtium, misereſcimus; & ingenij tarditatem, si quid erratum sit, reprehendimus; & gratiam omnem si rectè fiat, arti, & studio non ipsi homini tribuimus: tũ si quid fortuitò inter agendum acciderit, dum toti penitus in ipsam rem incumbunt, non facilè possunt, alias occupati aduertere. Postremò etiam fortuna ipsa quæ fortes .i. securos dexteritate quadam iuuat, operosis istis siue inconstantiæ suæ ludibrio, siue ipsorum genio infœlici, solet plerunq; tragulam inijcere. Itaq; quod domi & soli faciunt optimè, id spectante populo pessimè faciunt, ac sepè ne facere possunt quidem. Accidisse hoc summis viris proditur, Platoni apud Areopagitas; M. Crasso adolescenti apud Q. Maximum; Budæo apud Galliæ regem; Menedemo cũ primum ad remp. accessit; tanta erat anxietas, vt inter sacrificandum, confluente turba, thus præter thuribulum miserit; Vidi hoc ipsum in doctis quibusdam concionatoribus cum toto corpore contremiscerent. Sed non nunc de oratoribus & alibi, qui fortasse dum euentum timẽt, in initijs perturbantur. Nemo opinor est nostrum, qui non aliter se sentiat affici in foro & concione, quam in solitudine & musæo: itaque dum sumus in multitudine, nulla non nunquam apparente causa, rubores in vultu, sudores in corpore sentiuntur: & si quid agendum, dicendúmue sit protenus timoris indicium pallor, mẽbrorum

brorum tremor, linguæ titubatio: grauibúsque palpebris auocata cogitatione, oculorum aliqua caligo: & quasi reliquorum sensuum ignota fascinatio incumbit; quid? quod nobis apud homines principes etsi solos idem accidit, metu fortasse offensionis, aut tacita ipsius personæ reuerentia. Verũ in hac parte has ego causas ineſſe puto. Naturæ nostræ habitum, rei nouitatem, suam vniuscuiusque opinionem, multitudinis vim, & maximè curiosam illam anxietatem. Nam et naturæ alia atque alia est cõstitutio: itaque alius alio confirmatior, sicuti & verecundior; & rei nouitas stuporem facit, qui ætate & vsu in tenerrimis etiam deterritur, atque minuitur: & præsumpta de rebus incognitis opinio, maiorem vera dignitatem difficultatémque falsa æstimatione attribuit: & multorum simul tanta vis est, vt quos singulos seorsim contemnimus, eos vnà stupeamus vniuersos, & suprà omnia nimia illa cura, & placẽdi desiderium, (vt in amatoribus, qui aut verè amant, aut fictè simulant, videre licet) qua si ad naturam imbecillam accesserint, quæ sunt vtcúnq; benè constituta statim peruertunt. Quæramus ergò hijs malis remedium. Ac naturam quidẽ haud facilè viceris, at mitigaueris tamẽ: rei nouitatem, si vsu non licet, animo præceperis, vt nihil tibi nouum accidat: Opinionem rebus parem concipe, aut paulò minorem etiam: si te ad metum propensiorem senseris, populus sit tibi quasi homo vnus, est .n. bellua multorum capitum: quorum pauciſſimi aliquid possunt, multi non aduertũt, plures sine sensu sunt. Iam curam illam anxietatemque quàm longissime amandabis, euentum omnem fortunæ permittes: de bono non tam sollicitus, quàm

aduersus

aduersus malum, paratus: facit .n. nimia laudis appetentia vt laudem omnem amittamus; ipsáque gratia quæ est cum laude coniunctissima, (rocodili more, quòd est de gloria dictum: sequentem fugit, fugientem sequitur. Quare, vt paucis absoluam principio animus recta conscientia muniendus est: & hijs expurgandus affectibus, quorum facilis est deprehensio, & reprehensio turpis. Vt ira feruentior, amor intempestiuus, deliciarum appetitus, occasionésq; illecebræ, & suspiciones amputandæ. Tũ corpus in honesto statu collocandum, non gladiatorio aut delicato ad ostentationem, sed ad rem quàm agis, quæque eam circunstant omnia accomodo: sic tamen vt negligens etiã, modò citra offensionẽ in leuioribus videaris: nã Solidũ sit oportet, quod diu et multis placeat: *hic gestus sed de illo alias, sicuti & de voce. Postremò autem vultus ad humanitatem componendus: vt quasdam præ se familiaritatis notas, etiam apud ignotos ferat: parua sunt illa quidem sed minimè contẽnenda membra, frons, oculi, supercilia: quibus & facere contumeliam, & accipere nonnunquam videmur. Tum vultu neminẽ perstrinxeris, perstrictus ipse, quantũ licet dissimula, ponatur in publico nimia seueritas: sed longius exulet lasciuia: & temperata quædam succedat remissio: & vt prudentissimè Seneca,* Frons populo conueniat, Animus sibi: *ita & foris apud alios gratus, & intus apud te eris securus.*

Omnia

Omnia caueris, nihil timueris.

8

CAius Cæsar armis, & consilio iuxta maximus; cum ancipites lubricósq; rerũ gerẽdarum Laborinthos, penitius intueretur; Necesse est (*inquit*) euenire Cæsari, quod necesse est; *hac æquanimitate prudentiã pariter & potentiam, necessitati cuidam condonans; cautionem tamen, (quam præstare potuit) in negotijs administrandis retinuit; metum quasi inanem abiecit; & se suaq; omnia diuinæ voluntati (licet non dum satis cognitæ) permisit. Longe aliter eius apud Tragicum successor; abiecta cauendi diligentia, & metum desperatione commutans*; Præstat semel ruere, quam semper pendere *exclamat. Modeste Iulius: impatienter Nero: idcirco non malè Bion:* Malorũ id omniũ malum esse maximũ pronunciat, malum non posse pati: & eum esse maximè anxium, qui se maximè cupit esse fœlicem. *Sapienter etiam* Diogenes, Legi naturam: Rationem Perturbationi: Fortunæ Confidentiam, obijciebat: *vt statim ingruentibus malis, obuium esset remedium. Nam qui futura timet, ijsdem præsentibus dolet. Quare hæc vna est ad fœlicitatem, & regia via: vt rebus vndique diligentia communitis: fortunámq; tuens vtránque rectus: bona siue eueniant, siue pereant: modeste accipias, non aliter ac ille.*

Si dederit lætus, si sors repetiuerit æquus:

Et Mala *itidem* aut corrigas, aut feras. *Durum: sed,* Leuius fit patientia, quicquid corrigere est nefas.

Ne

Ne latres, nisi momorderis.

9

PRouerbio præcipitur apud Italos, vt inimicũ ex aquis emergentem porrecta manu simulanter subleues: eundem aquarum vi mox obruendum, vtroque pede premas, parum piè, sed non insulsè. Etenim nihil est stultius quam ibi voluntatem nocendi verbis prodere, vbi re ipsa nocere non possis: nam & aduersario cauendi occasionem das; & tibi ipsi vlciscendi adimis: Quanquam si vis & piè & tranquillè viuere; Nec latres, nec mordeas.

Vmbram captare pro corpore.

10

PVerorum mos est vt libellos nacti, picturis & imagunculis delectentur; sensus verò aspernantur: idem inani appetitu ad omnem nouam speciem allecti; si quid salubris eduly in manibus habent, protenus abijciunt, pegma pro pane subinde apprehensuri. Apud Æsopum canis fallaci deceptus vnda, carnem è faucibus amisit, & ceruus pari illusus imagine, cornua cruribus prætulit. Hominum sunt hæc exempla, non ferarum, qui opinionum errore seducti Vana pro veris, ambiunt, & noxia pro bonis amplexantur. Quid pueros, canes, ceruos dicimus? quibus aut sortis aut ætatis est excusatio: viros videas graueſq; senes, qui res vilissimas summo bono, atq; bonorum omnium authori Deo præferant. Videas *inquam? immo* quem non videas?

Corporis

Corporis morbum animi quandam medicinam esse.

11

REpetere mihi libet, & paulo diligentius excutere illam C. Plinij *ad Marium suum libro 7. sententiam: viz.* Sūmam esse totius philosophiæ, vt tales esse sani perseueremus, quales nos futuros esse infirmi profitemur. *Quæri enim non inconuenienter potest, & quæ ratio sit, quod vitæ emendationem profiteamur ægroti: & quæ sit causa, quod non perseueremus professi. Et primum, cur hoc nobis proponamus & profiteamur, multæ sunt aliæ causæ, & suæ fere cuique peculiares, prout conscientia quemque & ipsius morbi sensus aliter atque aliter affectum reddunt. In genere autē vt plurimum hæc tria: Mortis metus, & propriè mortalitatis agnitio: Animi sese recolligentis, & multa recolentis, cura quædam & attenta cogitatio: Amicorum & inuisentium sollicitæ cōmonitiones. Quod si ita sit, iam nihil aliud videtur ab honesto illo proposito nos abducere, & in diuersum rapere, nisi securitas & animi hac cura soluti negligentia quædam, & planè ita est. Sed videamus de singulis. Mortis terror quem morbus incutit, (est enim quasi aduentantis & appropinquantis mortis præcursor & nuncius) animum ad aliena euagari solitum, trepida cogitatione ad semetipsum reuocat. Animus autem ad se rediēs primum carnis delicias quasi saluti suæ noxias, & ipsas diuitias tanquam securitati suæ inimicas: honoréſq; & alia mundi ludibria, quia non sua, sed corporis sui fuisse ea, & iam diutius retineri non*

posse

posſere ipſa intelligit, inſita quadam generoſitate, protinus aſpernatur. Deinde corpus ipſum, cuius ſe, contra naturæ ſuæ dignitatem, iam diu mancipium, in hijs comparandis vtendiſq; fuiſſe videt: eo demum oculo aſpicere incipit, quo ſemper aſpexiſſe debuit, & ſenſu mortalitatis cogente, nihil aliud quam domicilium aut etiam iumentum ſuum fuiſſe perſpicit: lámq; tempus inſtare, vt vel ruente domicilio, in alienam ignotámq; habitationem, ipſe ſolus extrudendus ſit, vel pereunte quodammodo iumento, per obſcuros tenebricoſoſq; anfractus, longum incertúmq; ſibi ſolie metiendum ſit iter. Quod nunc demum inſtante periculo, tanto leuius tutiúſque ſibi futurum perpendit, quãto minus in ornanda domuncula ſua habitator antea laborauit: quãtóque minus iumento quo vehebatur viator, in itinere confidebat. Hijs igitur tanquam alienis exutis, & cogitatione ſaltem ſua relictis, vel breui relinquendis, recolligit ſemetipſum animus, ideſt, bona maláque ſua, virtutes & vitia, mores & facta reputat & recognoſcit: & in ea tanto attentius, & ſaniore cum iudicio intuetur & diſcernit: quod iam voluptatis & vtilitatis, vt ſic dicam, perſpecillis (quibus antea quaſi fallacibus indicijs acies oculorum ſuorum, aut impedita aut plane decepta eſt), nunc non vtitur. Ea verò eſt natiua virtutis honeſtatiſque dignitas, vt ſani iudicij intellectum, mox in ſe conuertat, & (niſi fallacibus delicijs, aut falſis diuitijs irretitum) affectum ad ſe pertrahat. Quare intuens in hæc animus, ſtatim apparentes vitiorum ſordes & tenebras abhorret ac deteſtatur. Accedunt ad hæc amicorum vel conſilia, vel conſolationes: dum vel patienter ferre quod neceſſe eſt,

vel

vel prospicere in futurum priusquam veniat, vel libenter humiliari sub potenti manu dei, vel tale aliquid piè, prudentérque monent. Cessant interim ioci, risusq; intempestiui, nulli audiuntur in aegrotantium cubiculis cachinni, nulli cantus, nulli clamores. Quin etiam ipsa conuiuia (si quæ fiant) vel aegri reuerentia, vel modestia conuiuarum, luxum repudiant, hilaritatem reprimunt, castitatẽ, sobrietatémque, & grauitatem retinent: & quasi ipsa quoque à morbo castigationem sentiant: ita caste, moderatè, sobriè, peragi volunt. Quantum autem ad bonos malósue mores in eorũ, inter quos viuitur, colloquijs & consuetudine momenti sit: experimento facilius percipitur quam documentis probatur. In hac autem iudicij sanitate, tam diu persistit animus: talémq; se fore spondet imposterum; donec pulso morbo, atq; vna mortis imminentis timore; securitatéq; resumpta; insuper mutatis (vt fit) amicorum sermonibus; & viribus recuperatis: rursum ad domicilium suum quasi reparatum, & ad iumentum suum iam refectum, redeat: sicque corpus restituta valetudine lasciuire, & animus contagione sanati & valentis corporis, recidiuam pati, & vitrea illa imo plusquam vitrea, falsæ voluptatis, vtilitatisque perspecilla, ad oculos suos reponere incipiat. Quare non absurdè Plato, conditionis humanæ gnarus et experiens, & virtutis cupientissimus, (contra aliorum hominum morem) Academiam, locum non modò solitarium, sed etiam minus salubrem, consulto habitandũ sibi delegisse fertur. Hinc etiam tanta priscorum philosophorum frugalitas & parsimonia: Sanctorum autem hominum apud nos perpetua ferè ieiunia, quibus

bus corpora castigauerunt, tantoperè commendā-tur. Nec est alienum ab hoc loco illud sapientiæ præceptum. Melius est ire in domum luctus, quam in domum conuiuij. *Huic enim vt plurimum deteriores, inde mortis memores, & sæpe meliores redimus. Quod adeò non est dubium, vt absque authoritate scripturæ sacræ, quotidiana cuiusque comprobetur experientia. Ad hoc alludit non insulsè quisquis fuit rythmici huius carminis ignotus author:*

Dum fero languorem, sero relligionis amorem:
Expers languoris non sum memor huius amoris.

Sed de re apertissima satis.

Mortem contemnendam & non contemnendam esse.

12

NOn est hoc dialecticum sophisma, aut in vtranq; partem conuertibile argumentum, neque contradictionem vt videri potest includit: sed manifestam habet vtriusq; partis veritatem. Cuius sententiæ tanquam epiphonema quoddam breuissimo carmine cōplexus Martialis,

Summam nec metuas (*inquit*) diem nec optes.

Quod melius cauere quam facere, opinor, ipse potuit: neque .n. tam vir bonus, quam bonus poeta fuisse putatur. Sed vt ad Philosophos, quorum est maior authoritas, veniamus: L. Æneum Senecam virum imprimis laudatum & egregium Philosophum, circa mortis siue curam siue contemptum, sic statuisse reperio, vt eam semper cogitandam, nūquam pertimescendam: sæpe etiam expetendam atq; adeo vltrò asciscendam esse indicaret. Quorum

rum primum multæ prudentiæ, alterũ ſummæ fortitudinis, tertium (pace tanti viri dixerim) nec prudentiæ, nec fortitudinis, ſed impotentiæ cuiuſdam & immanitatis eſſe videtur. Itaq; priora illa duo, & præclara eius de eiſdem præcepta, libenter omnes ſani iudicij amplectuntur: vltimum tanquam adulterinum quiddam & à tanto philoſopho alienum reiciunt: eóq; nomine grauiſſimè taxat eum, dialogo 118. & alibi in Vtriuſque fortunæ remedijs Franc: Petrarcha, quaſi hoc vno dicto multa alia præclariſſima ſua dicta polluerit. Nam quod ab eo dictum eſt: Si bene viuere non licet, quid mori vetat? Hoc ipſum, ô Seneca, ne tam male moriaris. *Præſtat.n. & longe præſtat, non optimè viuere quam peſſimè mori, tali præſertim mortis genere, cui & natura ipſa aduerſatur, & leges vltam irrogant, & refragatur ratio, & pietas fidéſque reclamant. Sed omnem huius infauſtæ funeſtæque opinionis peruerſitatem elegantiſſimis argumentis, Macrobius libro primo in Scipionis ſomnium cap. 13. Ex Platonis & Plotini authoritate refellit atque explodit, & quam ſit philoſopho indigna oſtendit. Nec argumentis modo Plotinus hoc docuit, ſed in exitu ſuo, cum aſciſcendæ mortis graues cauſas haberet, patientia tamen omnes vicit, & reipſa quod docuerat præſtitit. Nam etſi, (vt refert de eo diſcipulus eius Porphirius) vſque adeo corpus ſuum ſemper haberet deſpectui, vt pudore quodã affici videretur, quod anima eius tã diu in corpore eſſet: & aliquandiu ante mortem neceſſarijs deſtitutus miniſteriis, in anginam incidiſſet: & vocis raucedine, & oculorum caligatione, & manuũ pedúmq; vlceribus vexaretur; impatienter tamen,*

tamen,& contra philoſophiæ dignitatem, animæ à corpore ſolutionem vi aliqua præcipitare noluit: ſed eam placidè expectans: Euſtochio ad ſe venienti, Hactenus (*inquit*) te expectaui, atque equidē iam nunc admitor quod in nobis diuinum eſt,ad ipſum Diuinū quod viget in vniuerſo redigere. *Spiritúmque vnà cum his verbis emiſit. Nullius igitur aut hominis aut rei,odio,inuidia,metu,aut tædio, ſic exacerbetur animus: nullo cruciatu, aut doloris morbíue impatientia adeò frangatur: nulla ſpe falſa,aut famæ aut fœlicitatis conſecuturæ, ita decipiatur,vt tale ac tantum facinus ſibi conſciſcendum putet. Sed hanc optimi viri malè conceptā opinionem, tanquam adulterinam prolem abijciamus,& reliquum eius fœtum, tanquam legitimū diligentius enutriendum ſuſcipiamus. Ac primum videamus quid afferat ad mortem contemnendam ,i.ad mortem æquanimiter intrepidéq;, quoties aut honeſtum,aut neceſſum erit tolerandam: hoc eſt .n. contemnere, nec turpiter declinare, nec muliebriter exhorreſcere, nec temerè tamen; ſed cum res poſtulat, fortiter & conſtanter mortem oppetere. Videamus igitur quid affert, & in aceruum colligamus quæ apud illum ſparſa ſunt.* Magna res eſt (*inquit*) & diu diſcenda,cùm aduenerit hora illa ineuitabilis,æquo animo abire: effugere nō potes neceſsitatem, potes vincere: ſcz. ſi non ipſe prior ſuccubueris,ſi tranquillus expectes, ſi patienter excipias, ſi certus aduerſus incerta, ſi intrepidus aduerſus terribilia perſtiteris, viciſti: eadem aduenientis mali,(ſi tamen malum) eadem conditio eſt, & res eadem: ſed in homine ipſo differentia eſt, atque adeo in animo homi-

nis duntaxat. Nihil est tam acerbum in quo non æquus animus solatium inueniat, ipsa tormenta exquisitissima multi contempserunt, viceruntque; ignem Mutius, crucem Regulus, membrorum omnium contusionem Anaxarchus, venenum autem propinans Critiæ Theramenes, & post eum planè securus Socrates ebiberunt: ambo quasi ludentes in morte, in qua iam a tyranno denunciata, Canius verè latrunculis lusisse, nec lusum etiam dimisisse commemoratur. Dabat hoc illis integra conscientia, virtutis assuetudo, animus in omnem aduentum confirmatus. Nihil est enim tam calamitosum, quàm animus futuri anxius, semper solicitus, & ante miserias miser. Nihil est miserius nec stultius, quàm semper timere, mortem præsertim; quam (si nihil aliud) ipsa certè necessitas, & cum vniuerso genere humano communicata æqualitas, tolerabilem facere debent. Qui mortem timebit, nihil vnquam pro homine viuo faciet: omnia enim videtur ad corpus referre, tanquã propter corpus ipsum viueret: profectò honestum illi vile erit, cui corpus suum nimis charum est: fateor tamen insitum nobis aliquã corporis nostri charitatem, nec prorsus indulgẽdum ei, sed seruiendum nego: agatur eius diligentissimè cura, ita tamen vt cum exigit ratio, cum dignitas, cum fides mittendum in ignem sit. Illud vnum diligenter cogita, vt *Ante mortem tuam, moriantur in te vitia tua:* & subindè considera, quàm pulchra res sit, *Consummare vitam ante mortem.* O quando videbis illud tempus, quo scias tempus ad te non pertinere? quo tran-

tranquillus, placiduſque eris, & craſtini negligens,& in ſumma tui ſatietate: tunc dies ille quē nunc tāquam extremum reformidas, æterni natalis videbitur. Gemis & ploras? hoc ipſum naſcentium eſt: Perire tibi quæ tua ſunt putas? pereunt certè quaſi velamenta naſcentiū: quid, iſta diligis quaſi tua, cum ſint aliena quibus opertus es? Veniet dies qui te excutiat & reuelet, & ex contubernio fœdi atque olidi ventris educat. Alienus iam, hinc altius aliquid ſublimiúſque meditare. Deum omnium rerum iudicem cogita: illi nos approbari, illi in futurum parari decet, & diuinam lucem æternitatemque proponere, quam qui penitius mente concepit, nullis ad timorem minis agitur, non terretur tuba, non totos horret exercitus. Quid enim timeat qui mori ſperat, & honeſtam moriendi cauſam non inuitus arripit? *Hæc & huiuſmodi, vir ille magnus & ſibi & Lucilio ſuo, & poſteris omnibus, ad tollendum vel ſaltem minuendum mortis horrorem, paſſim commentatus eſt: tanta orationis vbertate, tanta vi argumentorum, ea demum in non recuſando mortem conſtantia, vt facilè appareat, illū magno animo & ſenſiſſe quæ ſcripſit, & maiori etiam præſtitiſſe quod ſenſit. Nunc quod reliquum eſt, quomodo de morte ſemper cogitandum ſit, attentè conſideremus, in hac etiam parte ab ipſo Seneca, tam ſcripto quàm exemplo adiuti.* Quem mihi dabis *(inquit ad Lucilium ſuum)* qui aliquod precium tempori ponat, qui diem æſtimet, qui intelligat ſe quotidie mori? In hoc enim fallimur, quod mortem non prospicimus, imo ne ſentimus quidem: magna pars

eius iam præterijt, quicquid ætatis retrò est, mors tenet: non repentè in mortem incidimus, sed minutatim procedimus: quotidiè morimur, quotidiè enim demitur aliqua pars vitæ: & tunc quoque cùm crescimus, vita decrescit: infantiam amisimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiam, vsque ad hesternum quicquid transijt, perijt: quin & hesterna vita, hodiè desijt, cras etiam hodierna desinet, imò hunc ipsum diem quem viuere videmur, cum morte diuidimus. Nam verè punctum est quod viuimus, & adhuc puncto minus: sed hoc minimum, specie quadam longioris spacij natura diuisit: & per ætatum momenta extendit, eius spacij explendi spes plurimos fallit, & immensam præterlabentis temporis velocitatem, & quotidianam sui mutationem deprehendere non sinit. Alioquin, omnis dies, omnis hora, quàm momentanei sumus ostendit, atque aliquo argumento recenti admonet fragilitatis oblitos: cum futura meditantes respicere rogit ad mortem. Morbus, captiuitas, gladius, ruina, ignis, & huiusmodi, nihil horum peregrinum aut rarum est. Sæpè enim in vicinia mea subitò conclamatum audiui: sæpius propè limen immaturas exequias, fax cæreusque præcessit: nonnunquam propè ruentis ædificij fragor insonuit: multos ex hijs quos mecum forum, curia, sermo coniunxerat, mors abstulit, & ad sodalitium manus copulatas intercidit: & miror, vel indignor ad me aliquando pericula accessisse, quæ circa me semper errauerunt, & non meminerim potius, Cuiq; posse accidere quod cuiquã potest:

poteſt: itaque id agam ſedulò, vt inſtar totius vitæ, ſit ſatiſque ſit, hic vnus dies: nec tamen tanquam vltimum rapio, ſed ſic aſpicio, tanquam eſſe etiam vltimus poſsit: & hoc animo tibi Lucili hanc epiſtolam ſcribo, tanquam maximè ſcribentem mors auocatura ſit: paratus exire ſum, & ideò fruor vita, quia quamdiu futurum ſit hoc non nimis pendo, & cetera. *Sed quouſque alienis immoror & inſiſto veſtigijs, cum res non aliena ſed propria agatur? Mihi igitur ipſi ſæpè multúmque iſta legenti, & in animo verſanti, tripartita ferè cogitatio ſolet occurrere: viz. de morte ipſa, de via ad mortem, & de ſtatu poſt mortem. De morte verò ipſa non multùm moueor, quam ſcio in inſtanti peragi, omnibus neceſſariam & communem eſſe: & licet incerti temporis ſit, tamen propter repentinos caſus quotidiè imminet: & propter vitæ breuitatem nuſquam longè poteſt abeſſe, vbique inſidiatur, etſi ſemel tantũ feriat: exeuntes in vitam aut à tergo inſequitur, aut à fronte expectat: ſemper obſeruans donec aut aſſequatur, aut excipiat. Video in ea diſceſſionem animæ & ſeparationem fieri à corpore, etſi animam ipſam videre nequeam: vnáque conſequi vitæ priuationẽ in corpore: quoniam vita animæ comes eſt, perinde vt lux ſolis: quo ex hæmiſpherio noſtro recedente, ſtatim lucis priuatio & tenebræ oboriuntur, eóque abſente permanent: & quia animæ redire ad corpus naturæ lege permiſſum non eſt, ideo in corpore eadem lege naturæ, tenebræ poſt mortẽ perpetuæ. Et quemadmodũ ab omni habitatore deſerta & irreparata domus, paulatim in parietinas & rudera collabitur, ac demum in puluerem: vt ne ve-*

ſtigia quidē eius ſuperſint, redigitur: ita & corpus hoc inhabitatore ſuo deſtitutū & vacuū, oſtijs (vt ſic dicā) feneſtriſque occluſis deſeritur, et cineribus vermibus vel putredini relinquitur. Et de corpore quidē poſt mortē nulli ferè philoſophorū video magnoperè curam fuiſſe nimiū cōtemptū quibuſdam. De altera vero parte viz. anima: quid aut quatenus curandum vel contemnendum eſſet parum intellexiſſe videntur: ſed inter omnes, opinor, optimè Platonici: Nam apud Platonem egregiè Socrates in Phædone, duas animarum vias eſſe, duplicéſque curſus, pro vt bene maléue in hac vita ſe geſſerint, oſtendit: & in vltimo de Repub. Erum quendam poſt duodecem dies redeuntē: quæ iudicia, præmia, ſupplicia animarum mortuus viderit, referentem inducit: Idémque apud eundem præclariſſimè in Gorgia, neminem niſi male ſibi conſcium, aut rectæ rationis expertem, mortem timere; ſed id timendū potius ne malus malè moriatur docet namque animas quidem ſtatim poſt mortem ad iudices quoſdam deduci, notas & quaſi impreſſiones quaſdam morum ſuorum, præ ſe ferentes: non ſecus ac recens mortua corpora, aut integra aut lacera apparent: ita etiam animas quippe nudas, & omnibus velamentis exutas. Iudices autem animas inculpatas, meritis bonorum morum præmijs decorare: culpabiles verò perpetuis pœnis deputare. Itaq; in omnes qui malè egerint ſupplicia poſt mortem exerceri, & magna quidem. Sibi autem iſta credēti, hoc vnicè curæ eſſe, qua ratione Iudicibus ſaniſſimum animum poſſit oſtendere, & interim honoribus, diuitijs, voluptatibuſq; repudiatis, quam maximè bonus & viuere & mori: ſic Socrates. Poſt quem,

cuy

cur alios tanquam deterioris notæ philosophos commemorarem, nõ video: nam aut eadem senserunt, scripserunt q3: aut longius à veritatis probabilitate aberrarunt. Quanquam nec in Socraticis omnia ad veritatis lineam adamussim accommodantur: nec mirum, cum in re penitus abdita & occulta, & infra Democriti puteũ demersa, lux veritatis per Christi doctrinam non dum effulsisset: & si coniectura uti liceat, hæc ipsa quantumuis veri scintillam aliquam ostenduntfabulosis inter narrandum tecta inuolucris, apertius ab Hebræis accepisse Plato creditur, & Socrati suo arrogasse: sed de his quæ post mortem satis; nunc de via ad mortem paucis. Philosophi ipsam vitam, nihil aliud quam viam ad mortem seu ad bene moriendum putant, & verè sed ego nunc de illa via loquor, quam vulgus plærúnque mortis genus vel modum appellat, scz. medium illud quo proximè antecedente, quasi causa proxima ad vitæ exitum peruenitur. Cuiusmodi sunt senectus, morbus, fames, venenum, ignis, laqueus, gladius, vis, cædes, ruina: & qualia nemo omnia enumeret, cùm sint infinita. Ad ea respexisse videtur Epicharmus, cum de morte consummata securus, nullum tamen mortis genus amplecti vellet. Itaq; mori (inquit) nolo, mortuum me esse nihil æstimo. Quasi diceret mors ipsa parum aut nihil mihi videtur habere mali, via tamen omnis ad eam, aspera, dura, horrenda & terribilis apparet. Sed hominem oratione magis acutum, quàm actione fortem, vtpote Siculum, bona cum venia dimittamus. Et illud magis meditemur, quomodo in tam laboriosa via, (quoniam semel omnibus emetienda est) quam minimè laboremus: hoc est

quod philosophia profitetur, & quod philosophos, si quid aliud, maximè commendat. Totius autem rei summa, fere in assidua animi præparatione cõsistit: eius verò exactior pertractatio, latissimè per vniuersam naturæ pariter & fortunæ imperium effusa, nullis certis [illegible] includi potest.

Quippe plus m
rales, partim v
alij præuisi nec
molestia quasi
mo cruciatu a
bant,

Vitáque cum

Et aduersus h
philosophia: a
viam, ipsumq;
potissimum gr
nostri ingeniũ
tonem sectant
trúmque Petr
præcepta dilig
meditatione z
tius rei magis
tum ipsemet z

FOLIATI

Petrarcham, Senecam, & ipsum Ciceronem aliqu
in eadẽ re calamum stringere, & velut Apellis ta
bulæ rude penicillum apponere? Quare inde peten
da, inde accipienda sunt, (quantũ philosophia præ
stare potest) istiusmodi malorũ remedia. Sed longè
melius ab Illo qui solus mala nostra portauit, & sa
nauit languores, nec cessat adhuc clamare, Venite
ad me omnes qui laboratis & ægri estis, & ego
reficiam vos. Sed hoc plus quam philosophicum:

cer-

certissimum tamen & solum verè efficax remedium.

Fortunam plus aduersam prodesse, quam prosperam.

13

LIATION ERROR

Publianũ: Fortuna quem nimiũ *fouet, stultum facit. Nam multa profectò sunt mala, (nisi magna animi moderatione caueantur) quæ secum aduehit arridens fortuna: ipsa etenim lætitia & securitas, quæ fructus eius vberrimus videtur, (si paulò diutius continuetur) quid nisi vera stulticia erit, aut etiam mera insania? At quæ iratam & horribiliter intonantem fortunam sequantur, vide: mox*

namque

quod philosophia profitetur, & quod philosophos, si quid aliud, maximè commendat. Totius autem rei summa, sive in assidua animi præparatione cõsistit: eius verò exactior pertractatio, latissimè per vniuersum naturæ pariter & fortunæ imperium effusa, nullis certis orationis cancellis includi potest. Quippe plus mille sunt mortis modi: partim naturales, partim violenti, repentini alij & ineuitabiles, alij præuisi nec repentini: quidam leues & parua molestia quasi compagem dissoluunt, nonnulli summo cruciatu animam quasi è domicilio suo exturbant,

Vitáque cum gemitu fugit indignata sub vmbras.

Et aduersus huiusmodi potissimum aduocanda est philosophia: aduersus enim hanc mortem, i. mortis viam, ipsumq; dolorem & timorem, qui in hac via potissimum grassantur: multum euigilauit Senecæ nostri ingeniũ: & ante illum Ciceronis vbiq; Platonem sectantis doctissima diligentia: & post vtrúmque Petrarchæ laudabilis industria. Quorum præcepta diligenter animaduersa, & quotidiana meditatione vtcunque in vsum (qui summus est totius rei magister) adducta; cuiusuis desiderio, quãtum ipsemet volet, poterunt satisfacere. Et quis post Petrarcham, Senecam, & ipsum Ciceronem ausit in eadẽ re calamum stringere, & velut Apellis tabulæ rude penicillum apponere? Quare inde petenda, inde accipienda sunt, (quantũ philosophia præstare potest) istiusmodi malorũ remedia. Sed longè melius ab Illo qui sõlus mala nostra portauit, & sanauit languores, nec cessat adhuc clamare, Venite ad me omnes qui laboratis & ægri estis, & ego reficiam vos. *Sed hoc plus quam philosophicum:*

cer-

certissimum tamen & solum verè efficax remedium.

Fortunam plus aduersam prodesse, quam prosperam.

13

DIfficile est & fortasse inuidiosum, omnium ferè consensu obsirmatam opinionem conuellere; & contra vota popularia argumentis contendere: Sed quoniam magnorum virorum calculis approbata res est, rectam quoque rationem ab eadem stare non est dubitandum: & mediocritatem quidem omnes rectè sentientes expetendam tenendámque vno concordiq; suffragio decernunt: sed de inclinante in alterutrã partem fortuna, quæstio vertitur. Refert Lodouicus Vines Catherinam Caroli V. materteram, in familiari quodam colloquio dixisse, Neutrius Fortunæ extremũ *se libẽter experturã: sed si necessitas alterius subeundæ imponeretur, præoptare se difficilem & aduersam: quod in hac nulli vnquam honestum aliquod defuisse solatium, in altera multis sanum deesse consilium sæpè animaduertisset. Hoc illa fortassè in viri sui vita tum rebus omnibus florentissima metuebat: nec fugiebat sapientissimam fœminam, illud Publianũ:* Fortuna quem nimiũ *fouet, stultum facit. Nam multa profecto sunt mala, (nisi magna animi moderatione caueantur) quæ secum aduehit arridens fortuna: ipsa etenim lætitia & securitas, quæ fructus eius vberrimus videtur, (si paulò diutius continuetur) quid nisi vera stultitia erit, aut etiam mera insania? At quæ iratam & horribiliter intonantem fortunam sequantur, vide: mox*

namque

namque prudentiam in consilium adhibitam, eiusque comites, cautionem & diligentiam aspicies: tum aduocari fortitudinem, coli & laudari iustitiam, modestiam & continentiam nullo iam labore teneri & obseruari; omnem denique virtutis comitatum, quasi agmine facto, agglomeratum cõcurrere. Quare celebris ille & multum decantatus apud Senecam Demetrius, nõ absre dixisse videtur. Sibi nihil eo videre infœlicius, cui nihil vnquam in vita accidisset aduersi. Quaritur deinde apud eundem: quare Deus optimum quémque, mala valetudine, aut luctu, aut incommodis afficit? & quare (inquit) imperator bonus fortissimis militibus periculosissima imperat? Calamitates quibusdam videntur, bonis virtutum occasiones sunt. Deus enim quos amat; probat, indurat, recognoscit, exercet: molles & fortunatos istos, quibus parcere putatur & indulgere, venturis malis reseruat. Nec tamen vult idem, molesta quaque & aspera à sapiente optari, sed si inciderint æquo animo tolerari: nec vnquam sic lætis confidere, vt interim tristia non præmeditetur: nec ideo gaudebit minus, Seuera namq; res est solidum gaudium. Memorabile est admodum, contra gestientem lætitiam, illud Epaminondæ exemplum: qui postridie eius diei, quo fœliciter in Leuctris pugnauerat, processit squalidus et summissus: mirantibus & percontantibus quibusdam, Nũquid mali contigisset? Nihil (inquit) sed heri sensi me bona fortuna delinitum, plus æquo mihi placuisse; eius gaudij intemperantiam hodie castigo. Philippi regis (multis pariter bonis nuncijs allatis) nota vox est, Aliquod sibi infortunium imprecantis: Nota Æmilij Pauli oratio,

ratio, filiorum ſuorum funeribus, ſuper fœlicem Perſei victoriam mox conſecutis: Nota Zenonis audito rerum ſuarum naufragio, ſententia: Iubet me (inquit) fortuna expeditius philoſophari.. Qui omnes non optabant aduerſa, ſed ferè accidere ſolere cogitabant, & cum accidiſſent æqui boniq; & in meliorem partem accipiebãt. Habet. n. vnaquæque res, & omnis caſus, (vt inquit Epictetus) duas quaſi anſulas: quarum ſi meliorem apprehendas, omnia in melius interpretaberis, & facilè ſine querela perferes; ſin alteram peiorem tantum contrectare libeat, nulla res ex animi ſententia commodè accidet: Sed quid plura conquirimus? infinita ſunt & exempla & argumenta quæ huc congeri poſſunt; vno inſtar omnium contenti ſimus Boetio, qui ſub ipſius philoſophiæ perſona poſt multas adductas rationes nõ dubitat ſine exceptione aſſerere, Omnem bonam prorſus eſſe Fortunam: nam & illa quæ triſtior eſt, & aduerſa appellatur; aut exercet aut corrigit, aut punit: quorum vnumquodque plurimum prodeſſe confirmat. Atque idem poſtremo prudentiſſimè nos admonet, Firmis vbique medium viribus occupare; ne nos aut triſtia opprimant: aut iucunda corrumpant.

FINIS.

LONDINI

Excudebat *Tho. Orwinnus.*

Impensis

verò

Ioannis Higini.

1590.

BIBLIOTHECA
LAMBETHANA